



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1720

urn:nbn:de:gbv:46:1-6364

BIBLIOTHECA

Historico - Philologico-

THEOLOGICA.

Classis Tertiæ

FASCICULUS QUINTUS.



BREMÆ,

Sumptibus JOHANNIS ANDREÆ GRIMMII

Typis HERMANNI BRAUERI, MD CCXX.

V I R O

*Celeberrimo Plurimumque
Venerando,*

**JOHANNI D'
OUTREIN,**

**Theologo consum-
mato**

**Philosophiæ Doctori,
Ministerii Sacri Amstelodamen-
sis Eximio Ornamento,**

**Scriptis quamplurimis pietatem & do-
ctrinam singularem spirantibus aliisque præ-
clare de Republica Christiana meri-
tis conspicuo,**

**Conaminum pro bona causa susceptorum,
atque inter ea hujus quoque nostri Fau-
tori ac Promotori indefesso,**

Septi-

Septimum hunc ac decimum

BIBLIOTHECAE

hujus

FASCICULUM

Cum debita nominis

laudumque ejus reve-
rentia offerunt,

Atque ut hæc eorum mo-
limina benevolentia suæ Favo-
nio pro insigni, qua pollet, humanita-
te, & summo, quo fertur in san-
ctiora studia, fervore,

Sublevare ac promovere porro velit enixe
publico etiam nomine

PETUNT

EDITORES.

Arti-

Articuli hujus Fasciculi.

- I. Hermanni DEUSINGII Exegetis Psalmi XC. p. 769.
- II. Bernh. Petri KARLII dissertatio de vero sensu visi Danielici de IV. Bestiis & speciatim *quarta decicorni*, contra paxadoxam V. Cl. de Cyro expositionem p. 804.
- III. Herm. DEUSINGII Exegetis Psalmi XCI. p. 849.
- IV. P. v. S. Cogitationes de Libano, ut emblemate ecclesiæ N. T. p. 864.
- V. Epistolæ duæ Viri Doct. ad J. D'OUTRENIUM de Melchisedeco, cum hujus stricturis p. 879.
- VI. Joh. Laur. MOSHEIM vindiciæ antiquæ Christianorum disciplinæ adversus Tolandi Nazarenum. Lib. rec. p. 894.
- VII. ANONYMI alloquium Irenicum ad Protestantés Ratisbonæ nuper editum, p. 909.
- VIII. Jac. ELSNERI Observatio ad Luc. XV. 22. p. 938.
- IX. Nova ecclesiastico-historico-literaria p. 943.



I.

HERMANNI DEU-
SINGII

Jurisconsulti Groningani

EXEGESIS

PSALMI XC.

I.

Videamus heic inscriptionem & Psalmum ipsum. Inscriptio hæc est: *Oratio Mosis viri Dei.* Nullus veterum dubitavit quin hic Psalmus Mosen, cujus nomen præfert, habeat auctorem. Itaque Chaldæus interpres hæc verba ita παραφράζει, *Oratio, quam Moses, propheta Domini, peregit, cum populus Israelis in deserto peccasset.* Attamen, quoniam hic Psalmus libris Mosis non est insertus, Celeb. Tilius censuit Davidem esse ejus auctorem: at-
Class. III. Fasc. V. D d d que

que illum per prosopopœiam heic introduce-
 re Mosen, tanquam eum, qui occasione istius
 quod totus Israel, exceptis Josua & Calebo,
 in deserto cecidisset, considerans imperfecti-
 onem veteris Testamenti, suo ministerio in-
 troducti, propter execrationem legis, ejusque
 fructus, nempe crebra iræ divinæ documen-
 ta, jam tunc exstantia, eoque anhelans ad
 tempora correctionis, apud Deum pro Israele
 intercederet, & tùm mala illa deprecaretur,
 tùm promissam benedictionem Abrahami
 ac futura Novi T. bona efflagitaret. Spe-
 ciosè equidem. Putem tamen eam non esse
 rationem sufficientem cur hunc Psalmum,
 Mosi abjudicatum, Davidi assignemus, ac ta-
 lem prosopopœiam, à simplicitate verborum
 abludentem, comminiscamur; quandoqui-
 dem ille, in quo tam Novi quam veteris Te-
 stamenti fata perstringuntur, quique cum
 nulla historiæ Mosaicæ parte nexum habet,
 tanquam canticum, per se subsistens, meritò
 libro Psalmorum insertus est. Quanquam
 Mosen dictâ occasione hunc Psalmum panxif-
 se non velim abnuere.

2. Moses ergo, servus ille Dei fidelis in to-
 ta domo Dei, h. e. fata Ecclesiæ utriusque Te-
 stamenti fideliter prænuntians, Num. 12: 7.
 meo quidem arbitrato, in hoc Psalmo, tan-
 quam אִישׁ הָאֱלֹהִים, ὁ ἀνδρῶπιος ἰσ θεοῦ, *Vir*
ille Dei, sic quasi per ἀντονομασίαν dictus, h. e.
 Propheta ille insignis, qui quidquid dicebat

&

& faciebat, dicebat faciebatque in nomine Dei, nec sibi, sed Domino, vivebat, non suum, sed ipsius, curans negotium, (nam *Viri Dei* appellatione passim veniunt prophetae, Conf. Deut. 33: 1. Jos. 14: 6. Jud. 13: 6. 1. Sam. 9: 6. 11, 2. Tim. 3: 17. & articulus, ad utrumque pertinens, nota est excellentiae) vaticinatur de Ecclesiâ cum veteris tum Novi Testamenti, deque opere Dei, circa illam praestito, & circa hanc praestando. Introducit autem Moses, & quasi repraesentat, Ecclesiam Novi Testamenti, ejusve ductores & doctores fideles, antitypum sui, Moysen mysticum, sub tyrannide Antichristi gementem, ac memoriâ repetentem dictum illud Filii Dei Deut. 32: 39., *Videte nunc me me ipsum esse, me morte afficere & vitæ restituere* (cujus veritatis in hoc Psalmo quasi demonstratio est) orantemque ut Deus se talem, qualem se pridem ostenderat, nempe vivificantem mortuos, etiam in posterum exhibeat.

3. Psalmus ipse comprehendit 1. confessionem, quâ Deus describitur tanquam vivificus, v. 1. 2. 2. allegationem exempli vivificationis mortuorum, à Deo dati in Ecclesiâ veteris T., v. 3-5. 3. precessionem, ut Deus Ecclesiam Novi T., nunc Morti traditam, & sepulchro quasi mancipatam, pari modo revocet in vitam. v. 6-17.

4. Confessio, quâ Deus describitur, tanquam is qui mortuos vivificat v. 1. 2. *Domine, habi-*

*tabernaculum tu exististi nobis in generatione & generatione. Antequam montes gignerentur & produceres terram & frugiferam, imo à seculo ad seculum tu es Deus vivificus. Ecclesia illius, cujus dixi, temporis heic compellat Deum cum Patrem tum Filium nomine Adonai, quod, ductum à voce ידן basis, stylobata, eum notat qui non tantum omnia eadem omnipotentia, quâ ea creavit, sustentat & conservat, sed qui etiam Ecclesiam suam eadem gratia, quâ eam secum fœdere junxit, ita immutabiliter fulcit & sustinet, ut non possit eâ gratia ex-cidere. Confitetur autem 1. hunc Dominum existisse Ecclesie suæ habitaculum in generatione & generatione. ידן proprie significat habitaculum, in quo tutò & commodè commoramur & quietem carpimus: Ps. 28:8. 76:3. improprie est titulus Dei, Deut. 33:27. Ps. 71:3. 91:9. quo agnoscimus illum hoc præstare Ecclesie suæ, quod habitaculum commodum & benè instructum præstat in-
 quilino suo, nempe protectionem, securitatem, quietem, omnia vitæ subsidia. Talem se præstiterat Deus Ecclesie tum Veteris tum & Novi Testamenti: utraque enim una intelligitur; quare dicit, exististi nobis in generatione & generatione, dum duplici generationi Abrahami, nempe semini ejus carnali sub veteri & spiritali sub Novo T., se exhibuerat habitaculum. Sub Veteri quippe Testamento, non tam templum manufactum, (quod ap-
 pel-*

pellatur *habitaculum domus Dei* Ps. 26: 8.) quam ipse Deus fidelibus fuerat *κρησφύγετον* *refugium*, perinde ut patri ipsorum Abrahamo: Gen. 15: 1. Ac in Novo T. destructo jam templo Hierosolymitano, ipse Filius Dei eis factus erat sanctuarium, Jel. 8: 14. & quidem indissolubile, Joh. 2: 19. propter vim indissolubilis vitæ. Hebr. 7: 16. Hoc beneficium præteritum Moses mysticus, seu Ecclesia, præsentis suo statui opponit, q. d. Tu Ecclesiæ tam veteris quam Novi T. antea exististi instar habitaculi, eam protegendo, circumdando, custodiendo, securitate, requiete, atque omnibus ad vitam & pietatem necessariis, donando: at nunc contrivisti nos in loco Draconum & obtexisti nos umbra lethali, Ps. 44: 20. nunc deduxisti nos Babylonem mysticam, quæ est domicilium dæmoniorum & custodia omnis spiritus impuri, Apoc. 15: 2. Confer querelam Jobi, *O si quis daret mihi ut essem sicut diebus precedentibus, cum Deus conservabat me, cum adhuc Omnipotens erat mecum: nunc autem convertis te in crudelem contra me, frater factus sum Draconibus & socius pullis ululæ.* c. 29: 2. 5. 30: 1. 21. 29.

5. 2. Confitetur hunc Dominum inde ab initio mundi & sub utroque Testamento fuisse & esse *℥* *Deum vivificum*, cum dicit; *Antequam montes gignerentur, & produceres terram ac frugiferam, imo à seculo ad seculum tu es Deus vivificus.* Nomen *℥* significare *Deum*

Ddd 3

omni-

omnipotentem & vivificantem mortuos, Rom. 4:17. τὸν δυνάμενον σώζειν ἐκ θανάτου *eam qui potest servare ex morte*, Hebr. 5: 7. τὸν δυνατόν ἐκ νεκρῶν ἐγείρειν *potentiā p̄ditum suscitandi ex mortuis*, Hebr. 11: 19. (quibus locis ad nomen **Σ** alluditur) alibi sæpenumero ostendimus. Talem autem Deus se ostenderit *antequam montes gignerentur*, h. e. regna & imperia constituerentur, (quorum symbolum vulgatissimum sunt *montes*) h. e. in *πρωτοεὐαγγελίῳ*, seu prima promissione, quā Deus hominem, per peccatum mortuum, quasi vitæ restituit, & *antequam produceret terram* **Σ** *frugiferam*, h. e. Ecclesiam veteris & Novi Testamenti, per legislationem effusionemque Spiritus S. fundaret. Siquidem ante legislationem se vivificum ostenderat tum per diluvium, quo omnes perierant mortales, excepto Noë ejusque domo, & *παλιγγενεσίαν* *regenerationem mundi*, tum per mactationem agni paschalis & educationem Israelis ex Ægypto, illius factam beneficio, quæ mortis & suscitationis instar fuerant: & similiter ante effusionem Spiritus S. se talem præbuerat per mortem & suscitationem Christi redemptionemque electorum. Quin autem per **γῆν** *terram* & **τὴν οἰκισμένην** *frugiferam, orbem habitabilem*, significetur Ecclesia veteris & novi T. nullum est dubium. Vide sis quæ diximus ad verba Ps. 19: 5. *In totam terram exiit delineatio eorum, in extremitatem orbis habitabilis sermones eorum*, & Confer Prov. 8: 26: *Antequam*

quam montes figerentur ante colles edita sum, cum non fecisset, terram & exteriora & summam pulverum frugifera, & v. 29. 30. Ibi eram cum delinearet fundamenta terræ, & eram apud ipsum - - - ludens in frugifera terra ejus, ubi montes & colles terra & frugifera, sensu saltem altiore & prophetico, earundem rerum sunt emblemata; prout singulari in locum illum commentatione docuimus.

6. Exemplum vivificationis mortuorum, in Ecclesiâ veteris T. à Deo exhibitum, allegat Ecclesia v. 3-5.

Exemplum hoc proponitur v. 3., additâ ratione v. 4., & exponitur v. 5.

Propositio hæc est, Redigis hominem desperate miserum ad minimum, & dicis, Redite filii hominis. Per *וַיִּאֲרָם* hominem (sic dictum à miseriâ incurabili, in quam ille incidit per peccatum; siquidem *וַיִּאֲרָם* significat incurabiliter ægrum esse) heic intelligendus est populus Israelis, cujus typus erat Adam, tum quoad peccatum, Hof. 6:7. At illi transgressi sunt fœdus sicut Adam, tum quoad mortem, peccati pœnam, Pl. 82:7. Sicut Adam morituri estis. Ubi de principibus Judæorum sermo est, quorum mors involvebat mortem totius politix & populi. Confer 1. Cor. 15:48. Factus est prior homo Adamus animal vivens, posterior Adamus Spiritus vivificus. At spirituale non est prius, sed animale, deinde spirituale. Primus homo è terra pulvereus, secundus homo ipse Dominus è œ-

lo. Qualis pulvereus ille tales & pulverei sunt, Judæi, qualis ille cœlestis, tales & cœlestos Christiani. Considerat Adamum ut typum hominum ψυχικῶν καὶ χοϊκῶν, animalium & pulvereorum, quales erant Judæi, lege, quæ eis animæ instar erat, abrogatâ, in pulverem reversuri. Hunc autem hominem redegit Deus ad minimum, ad contritionem, ad pulverem, cum sententiâ suâ definitivâ populum Judaicum, post excidium politiæ eorum, jussit quasi ad terram redire ex quâ sumptus erat, h. e. inter reliquas gentes, à quibus eum antè separaverat, cum eum, ex Ægypto eductum, suâ lege quasi animaret, hac abolitâ, dispersit. Populus enim Judaicus erat corpus, ex hominibus pulvereis, ceu totidem pulvisculis, compactum. Unde illud Bileami Num. 23: 14. *Quis numeret pulverem Jacobi?* Cui in ipsâ lege denuntiatum erat, quod Deus dixerat Adamo, *pulvis es & in pulverem reverteris*: Gen. 3: 19. coll. Joh. 8: 6. 8. Quapropter Ecclesiastes, describens exitum populi Judaici sub emblemate hominis morituri, dicit, *Memento Creatoris tui - - - dum redeat pulvis ad terram, ut fuerat*; c. 12: 1. 7.

7. *Dixit autem, Redite filii hominis.* Appellatio ἡ ψυχῆς hominis miseri, quæ nepoti Adamo indita erat post lapsum, Gen. 4: 26. heic commutatur cum appellatione ἡ ἀνθρώπου, quâ insignitur homo integer: Gen. 1: 27. 2: 19. quo subindicatur restitutio hominis in integrum

grum per redemptionem Christi. Per *Adamum* autem heic intelligo vel *Adamum* secundum Christum ipsum, redemptorum patrem. Hebr. 2: 13. vel Apostolos ejus, quorum etiam filii intelligebantur esse quotquot ab ipsis geniti erant per evangelium. 1. Cor. 4: 15. His filiis hominis, h. e. fidelibus, fidem Christianam amplexis, Deus dixit, *redite*, cum eos, mortuos in peccatis, ac legi peccati & mortis obnoxios, vi vocis suæ vivificæ, ac legis Spiritus vitæ in Christo, (Rom. 8: 2.) *συνεζωποῖησθε τῷ χριστῷ* *convivificavit Christo*, Eph. 2: 5. ut in novitate vitæ ambularent, tanquam ex mortuis vivi. Rom. 6: 4. 13. At non iidem heic revixerunt qui mortui erant & contriti, saltem non iisdem præditi qualitatibus. Nam mortuus erat *Enosch*, revixerunt filii *Adami*, mortui erant Judæi, servitatem legis servientes, revixerunt Christiani, à lege immunes. Huc adplicare liceat illud Apostoli, 1. Cor. 15: 35. *At, dicet aliquis, Quomodo suscitantur mortui? quali autem corpore prodeunt? Insipiens, quod tu seris non corpus oriturum seris - - - & v. 44. Seritur corpus animale, suscitatur corpus spirituale. - -* Hæc resurrectio spiritualis, hic transitus è morte in vitam, è servitute in libertatem, heic venit appellatione *reditus*, facti vi vocationis Dei, qui vocat ea quæ non sunt ut quæ sunt, Rom. 4: 17. Es. 41: 4: Ps. 33: 9. quique morte afficit & vitæ restituit, d. Deut. 32: 39. Quomodo

& Filius Dei sola vi vocis suæ Lazarum evocabat è sepulchro, & vinculis fasciarum exsolvi jubebat. Joh. 11: 44. Eadem voce *reditus* conversionem hominis ad Deum passim quoque significari notius est quam ut egeat iudicio.

8. Dicti istius hæc redditur ratio v. 4. *Nam mille anni in oculis tuis sunt ut dies hesternus quando transit, & vigilia in nocte.* Per mille annos heic intelligo tempus longinquum seu diuturnum. Quomodo numerus ille rotundus ac definitus sæpe pro grandi, at indefinito, usurpari solet, veluti Job. 91: 1. *unum ex mille,* 33: 23. *unus ex mille,* Ps. 9: 7. *si cadant à latere tuo mille,* 105: 8. *mille generationes,* Eccl. 7: 25. *unus ex mille,* Cant. 4: 4. *millena scuta,* Jes. 7: 23. *mille vites,* 30: 17. *mille homines,* Ezech. 37: 3. 4. *mille cubiti,* &c. Speciatim verò heic innuitur totum tempus Veteris Testamenti inde à Mose usque ad Christum. Hoc tempus tunc, cum Deus dixit, *Redite filii hominis,* erat in oculis ejus ut *dies hesternus qui transierat.* Quare tempus veteris T. Apostolo quoque *χθες heri* dicitur. Hebr. 13: 8. *Jesus Christus heri,* h. e. in veteri T. *& hodie,* h. e. nunc pleno tempore, *idem est,* & *in secula,* h. e. in Novo T. more loquendi Hebræis usitato, qui tempus præteritum vocant *היום heri,* Exod. 5: 8. *quam faciebant heri nudius tertius,* h. e. antè hac, & v. 14. *nec heri nec hodie,* 1. Sam. 10: 11. 20: 27. Jes. 30: 33. Mich. 2: 8. Nempe

pe promissa patribus resurrectio mortuorum, Act. 26: 8. h. e. liberatio tūm Judæorum à servitute peccati & legis tūm gentium à potestate Satanæ, non poterat antè impleri quam præteriisset tempus veteris oeconomix, & Christus morte sua omnia consummasset. Vid. Matth. 27: 50. 52. Ex quo autem præterierant vetera, nova facta sunt omnia. 2. Cor. 5: 17. Sed idem quoque tempus in oculis Dei erat ut *vigilia in nocte*. Tempus quippe veteris T. erat tempus noctis Jes. 21: 11. Rom. 13: 12. *Nox processit, dies autem propinquat: & quidem vigilia in nocte*, quâ vigiles in excubiis stant opperientes matutinum. Siquidem fideles V. T., tanquam in nocte, expectabant lucem venturam, &, fidi præsertim doctores, quasi in specula stabant, tanquam nocturni vigiles, observantes signa temporum, ut cognoscerent quantum de nocte præteriisset quantum superesset, idque fidelibus significarent. Vide d. Jes. 21: 11. Hab. 2: 1. Pl. 130: 5. 6. Quos etiam referebant *pastores illi excubantes & agentes vigiliis noctis super gregem suum, quibus Angelus Domini gaudium magnum evangelizabat*, Luc. 2: 8. 9.

9. Itaque non occurritur hic dubitationi carnali: *Quomodo possibile sit carnem hominis excitari, cum per tot millenos annos computruerit & in alimenta sit dissipata*, uti censet Coccejus, existimans heic agi de resurrectione corporali: neq; adeò possibilitas resurrectionis ostenditur hoc vel-

veluti responso. Tam facile id fieri posse atque is, qui modo exspiravit, restitui in vitam potest, quia nulla longissimi temporis ad divinam aeternitatem est proportio. Nec video quid causæ sit cur is, qui quidem omnipotentiam Dei credit, magis dubitet de suscitatione ejus qui antè mille annos, quàm qui heri, mortuus est: Quando non minus ad hanc quam ad illam divina requiritur omnipotentia, cui non illa magis quam hæc potest esse impossibilis. Verum ratio redditur cur Deus, post tempus veteris Oeconomix, tam diuturnum, novam instituerit Oeconomiam, mortuis cum Judæis tum gentibus in vitam revocatis, hæc videlicet, quod tempus veteris Oeconomix esset tanquam dies hesternus qui præterierat, & cui jam successerat τὸ σήμερον hodie illud, quo audiebatur vox Filii Dei, vivificantis mortuos: Hebr. 3: 7. coll. Joh. 5: 25. quodque tempus illud esset tanquam tempus noctis, vigiliarumque & expectationis, cui nunc successerat, & succedere propter veritatem Dei oportuerat, dies, quo lux vitæ lucebat. Itaque necesse esse ut, qui tunc quasi in specula stabant, adventum diei desiderantes, nunc in luce ambularent, voti sui compotes, ut, qui tunc mortuorum instar erant, nunc essent instar viventium, h. e. redivivorum; quando Deus non mortuorum, sed viventium, Deus erat, Matth. 22: 32.

10. Sed quæ ergo ratio, dicis, quod Petrus, prospiciens (ut ego quidem autumo) ad tempus
pus

pus illud diuturnum Papatus, quod & *millennii* appellatione venit, Apoc. 20: 4. ac fideles ejus temporis ad patientiam exhortaturus, ex hoc loco probet tam longi temporis moram non esse *βραδύτητα* tarditatem, si *ὕστερον* tergiversationem, in præstando promisso? Nimirum Apostolus sic ratiocinatur, sicut Deus tempore veteris T., licet tam diuturno, non tardavit promissionem resurrectionis mortuorum, factam patribus, Act. 26: 8. sed eam rato tempore stitit, posteaquam spem & expectationem fidelium satis exercuisset, & impotentiam omnis carnis abundè demonstrasset, ita Deus tempore Novi T., dum Ecclesiam suam, portis sepulchri mancipatam, derelinquere videtur, non tardat promissionem resurrectionis ejus, seu reformationis, sed patiente animo utitur, ne quis electorum pereat. 2. Petr. 3: 8. 9. Itaque longanimitas ejus, non tardatio, sed salus est dicenda. v. 15. Propterea enim Apostolus dictum Psaltis reciprocatur, non tantum dicens, *mille annos apud Dominum esse ut unum diem*, sed etiam *unum diem apud eundem esse ut mille annos*, q. d. sicut millennium, h. e. tempus illud longinquum, quo Vetus Oeconomia duravit, fuit apud Deum instar unius diei, & quidem hesterni, cum ille, Oeconomia illâ ocys abrogatâ & evanescente, promissum suum præstitit: ita unus dies reformationis erit apud Deum instar millennii, h. e. longi temporis Papatus, vel etiam totius temporis Novi Testamenti, cum ille,

eo quod toto illo tempore extractum & destructum erat, uno illo die in integrum restitutum & reconvalescente, promissum suum præstabit.

II. Expositio est in verbis v. 5. *Inundasti eos, somnus sunt, soporantur, manè ut gramen recreatur.* Celeb. Vitringa ad Jes. c. 8: v. 19. 20. hæc verba ita vertit & interpretatur, *perfundis illos somno gravi tanquam imbre, (nempe somno mortis sive lethifero) erunt, sive reviviscent, (יהי pro יהי) tempore matutino, h. e. tempore resurrectionis mortuorum ad vitam, (quod dici putat בקר matutinum & שחר auro-ram) instar graminis mutabuntur, reviviscent post hyemem noctis. Sed, præterquam quod somni cum imbre comparatio durior videtur, יהי per accentum Atnach à voce בקר matutino distinguitur. Prædictam itaque Cocceji versionem præfero. Nec de propriâ hic, sed de figuratâ morte & resurrectione, reor esse sermonem. Exponit enim heic, ut opinor, Ecclesia primum quo pacto Judæi comminuti & quasi ad pulverem redacti sint, indicans hoc factum esse tanquam per inundationem, quando Deus, adductis adversus eos Romanis eos quasi inundavit, aut imbre perfudit. Nam verbum מַרְיָא inundare unde מַרְיָא imber, propriè notat imbre perfundere. De quâ inundatione sermo est Ps. 32: 6. *Cum exundaverint aquæ multæ ipsum non attingent, h. e. cum Romani Judæam inundarint, non mergentur pii, justifica-**

ificati, sed, cum Noacho, ex eo diluvio evadent, & Jes. 5:30. 28:17. *Ponam iudicium in lineam & justitiam in perpendicularum, & verret grando receptum mendacii, & latebram, Hierosolymam, aqua inundabunt.* Ubi rectè Coccejus, *Aqua inundantes sunt exercitus ducis advena, Dan. 9:27. Luc. 21:20. conf. phrasin Jes. 8:7.8. significatur tempestas & procella vehemens in populum Judaicum concitata.* Confer d. c. 25:2. ubi innuitur Deum, qui media destructionis in promptu habet, tanquam *imbrem aquarum multarum inundantium valide conjicere in terram, cum populos externos in eam immittit.* Effectus hujus inundationis fuit excidium politiæ & populi, quod indicatur verbis, *somnus sunt, sive somnum* heic pro morte accipias, h. e. excidio populi, (sicut enim sensus omnes in somno ligantur & sensus motusque cessant, ita etiam per excidium illud lex quasi ligata, vel potius dissoluta, est, & cultus ejus omnis cessavit) sive *τὸ somnus sunt* sumas pro *quasi somnus sunt*, h. e. sicut somnus subito præterit, ita populus Judæus cum politiâ sua festinanter faceffivit. Confer Job. 20:8. *Improbis tanquam somnium avolat, quod non inveniunt, & fugatur ut visum nocturnum, & Ps. 73:19. Defecerunt, consumpti sunt, præ nebulis, ut insomnium ex quo quis evigilat.* Umbra V. T. eleganter cum insomnio nocturno comparantur.

12. Deinde exponit, quomodo fideles redierint quasi ex morte in vitam, nempe ad
in-

instar graminis, quod vesperi marcet, at mane
 rore irrigatum, immutatur, recreatur, recen-
 tatur, revirescit. Christiani, posteaquam ro-
 re Spiritus S. irrigati sunt, novas acquisivere
 vires. Quomodo verbum *קָמַח* usurpatur Job.
 15:7. Jes. 40:31. Confer 2. Sam. 23:4. Lu-
 cente matutino exorietur sol (h. e. Christus, ubi
 lucem doctrinæ suæ sparserit, resurget ex
 mortuis) matutinum sine nubibus erit, à splendore
 à pluvia germen ex terra erit (h. e. etsi in Christi
παροισία non erit magna spes pluviae, nihilomi-
 nus cum aucto splendore solis, resurrectione
 Christi divulgatâ, etiam pluvia cadet, Spiri-
 tu S. copiosè effuso, cujus beneficio enascen-
 tur germina ex toto mundo. Quamvis et-
 iam recreatio, aut renovatio hæc simul referri
 possit ad evigilationem quasi ex somno. Sicut
 enim homo, ex somno evigilans, redditus
 viribus & sensibus integris, quibus per sopo-
 rem orbatus videbatur, quasi reviviscit, ita quo-
 que Christiani evigilantes, regenerati, ex-
 stinctâ quidem lege imperfectâ servitutis, at
 perfectâ lege libertatis per Spiritum Dei vivi
 cordibus suis inscriptâ, quasi ex morte tran-
 sierunt in vitam. Enallage numeri, *somnus*
sunt, recreatur (respondens *homini misero & fi-*
lijs hominis v. 5.) indicio est illud spectare ad
 Judæos infideles, nunc dispersos, nec ampli-
 us in unum populum coalituros, hoc ad om-
 nes credentes tam ex gentibus quam ex Ju-
 dæis, in *unum novum hominem conditis*, Eph.
 2:14.

13. Precatio, ut Deus Ecclesiam Novi T., nunc morti traditam, similiter vitæ restituat, constat præviâ de morte præsentis querimoniâ & sequente rogatione novæ vitæ.

Querimonia de morte, seu statu calamitoso, præsentis continetur v. 6-12. Ubi est propositio & ἰξερρασία.

Propositio. v. 6. *Mane homo ut herba floret & recentatur, vesperi carpitur, & arefcit.* Repetit hoc quod dixerat v. 5. *manè sicut herba mutatur*, quanquam cum aliquâ mutatione, ut per oppositionem ostendat ex quo statu exciderit & in quem statum prolapsa sit Ecclesia Christiana. Ex quo statu ea exciderit innuit, cum dicit, *Manè Ecclesia ut herba floret & recentatur.* Loquitur de matutino Novi T., perinde ut v. 5. conf. d. 2. Sam. 23: 4. Jes. 21: 12. Hoc matutino Ecclesia florebat, h. e. χαρισματα Spiritus S. ejusque fructibus abundabat, & recentabatur, vel potius crescebat, procedebat se, (nam & hic est significatus verbi קלח, quod & de vento irruente, Hab. 1: 11. de navi vento secundo utente, Job. 9: 26. & de fidelibus novis semper viribus instructis, ac plus ultra nitentibus, Jes. 40: 31. usurpatur) quo significatur ingens Ecclesiæ primitivæ incrementum, dum regnum Dei vim faciebat, & Spiritus S., spirans ubi vellet, Joh. 3: 8. Apostolos, ut ventos, emitteret, Hebr. 1: 7. ac coetus Hebræorum, ut naves, mare gentium vento secundo permeantes, ad
 Class. III. Fasc. V. Eee por-

portum optatum vitæ mundi deduceret. In quem statum eadem prolapsa esset, indicat verbis, *veperi carpitur, exciditur, & exarescit.* Per *vesperam* heic intelligo tempus ingruentis apostasiæ, quo lux veritatis *miscebatur* errorum & superstitionum tenebris. Eo tempore Ecclesia, quæ antè floruerat & incrementum ceperat, quasi præcidebatur, & flaccescebat, sicut gramen quod abscinditur & exarescit, h. e. per seductionem & apostasiam, à radice veræ fidei avulsa, omni quoque virore charitatis & sanctitatis exuebatur, secundum illud vaticinium, Matth. 14:12. *Quoniam multiplicata erit defectio à lege, refrigescet charitas multorum.* Confer Apoc. 6: 8. *Data est eis, Morti & sepulchro, in quadrantem terræ potestas trucidandi gladio & fame & morte & per terrestres feras,* h. e. plurimos variis modis inducendi in mortem secundam defectionis à fide. Tillius versum hunc ita verti posse putat, *Manè floret homo & mutatur, renovatur, qui vesperè abscissus erat & arescebat,* quasi heic quoque de resurrectione ageretur, ubi Ecclesia de nova morte conqueritur.

14. Propositionis illius ἐξερῶσίν est v. 7-12 Ubi primum duplici querimonia tùm calamitatem suam exponit, tùm causam ejus allegat: deinde eam petit sapientiam, per quam in illo statu se ita, uti oportebat, gereret. Prior querimonia Ecclesiæ de calamitate sua, ejusque causa, existat v. 7, 8. ubi de calamitate sua

sua dicit: *Nam conficimur per iram tuam, & per
 aestum tuum percellimur.* Queritur 1. quod confi-
 cerentur & consumerentur, h. e. ita numero im-
 minuenterentur, ut cogerentur dicere, *defecit pius,*
 Ps. 12: 2. *nam non est veritas nec pietas nec co-
 gnitio Dei in terra.* Hos. 4: 1. *Non est qui faciat bo-
 num,* Ps. 53: 2. & cum Elia, *Ego relictus sum solus.*
 1. Reg. 19: 10. Idque *irae divinae* acceptum re-
 fert. Quoniam Antichristus, & multitudo
 ei obnoxia, tempora mutans & legem, ac
 tempus libertatis & gratiae convertens in tem-
 pus servitutis & irae, talem iram Dei in se pro-
 vocaverat & accersiverat, qualis obtinuerat
 sub Veteri T., cujus effectus fideles etiam ex-
 periebantur. 2. Quod *percellerentur*, conster-
 narentur, (nam *בהל* consternationem notat)
 terrore Mortis & Inferni, h. e. Antichristi &
 principum ei servientium. Nam ea quoque
 Mors, cum sua seductione, erat *מלך בלהות*
Rex consternationum, Job. 18: 14. & Infernus,
 ille sua tyrannide pavorem incutiebat. Quod
aestui, seu excandescentiae, Dei merito adscri-
 bit. Quoniam Deus in excandescentiâ suâ
 Ecclesiae regem dederat cynosbatum hanc, è
 qua ignis exibat absumens cedros Libani
 Jud. 9: 15.

15. De causa calamitatis suae inquit Ecclesia
 v. 8. *Ponis delicta nostra coram te, ignorata nostra
 in aprico vultus tui.* Indicat causam irae illius
 & excandescentiae, suaeque ærumnae inde pro-
 ductae, hanc esse 1. quod Deus *pravitates ipso-*

rum poneret coram se, h. e. corruptionem doctrinæ judiciorum & factorum, (quam Ecclesia ejusdem temporis profitetur apud Jes. c. 64: 5. *pravitas nostra ut ventus aufert nos*) tanquam justus iudex, cognosceret & examinaret: 2. quod ignorata ipsorum poneret in aperto vultus sui, h. e. quod vestigaret & palam faceret reconditas ipsorum negligentias, ad quas ipsi per socordiam non attendebant. Quas Ecclesia ejusdem temporis profitetur Ps. 19: 13. dicens, *aberrationes quis intelligat? petiq; eas sibi condonari, addens, ab occultis absolve me.* Prius membrum ego ad infideles, posterius ad fideles præsertim, refero. Dum enim illi in gressu & cursu à rectâ viâ certatim declinabant, hi quoque per ignorantiam & negligentiam multis erroribus implicabantur, contagione multorum serpente ad singulos. Quotus enim quisque inter infideles & impios vitam agens non inquinatur? quotus quisque errores evitat, si vivat inter errantes, peccata, si inter peccantes? Et quamvis hæc, tanquam in obscuro facta, ipsos fideles laterent, apud Deum tamen & Christum qui, oculos habens tanquam flammam ignis, corda & renes scrutabatur, Apoc. 2: 18-23. ea aperta erant in mediis illis Papatus tenebris. Quâ de re sic loquitur Ecclesia Ps. 139: 11. *si dicerem, utique tenebræ velut crepusculo obvolvunt me: atque nox lux est circa me. Ne tenebræ quidem ita obtenebrare possunt, quin tu pervideas: sed nox ut dies illustrat:*

*strat : perinde sunt tenebrae atque ipsa lux. Tan-
tum aberat ut Deus non videret neque atten-
deret, quemadmodum tunc temporis opina-
bantur bruti in populo & stulti, dicentes, non
videt Jah, neque attendit Deus Jacobi Ps. 94. 7. 8.*

16. Posterior querimonia Ecclesiae de cala-
mitate sua ejusque causa exstat v. 9-11. ubi,
quod priore generalius innuerat, explicat
specialius, prout indicat repetitum *nam*
vers. 7. 9.

De calamitate sua agit Ecclesia v. 9. 10. de cau-
sa ejus v. 11.

*Calamitas Ecclesiae. Nam omnes dies nostri
inclinant ob excandescentiam tuam! conficimus an-
nos nostros ut halitum! Dies annorum nostrorum in
his partim sunt septuaginta anni, & si in robore,
octoginta anni: & eximium illorum miseria &
vanitas. Nam impetu ruit celeriter & avolamus.*
Respondent haec versui 7. Interpretes haec
vulgo generatim accipiunt de brevitate & ca-
lamitate vitae humanae. Sed, posito concessio-
que quod docuimus, haec introduci Ecclesi-
am sub Papatu oppressam & quiritantem de
statu suo ærumnoso, ea verbis hisce, *omnes
dies nostri inclinant ob excandescentiam tuam*, in-
nuit, non tantum ingruere sibi tenebras ve-
spertinas, sed etiam incumbere sibi tenebras
nocturnas & Cimmerias, q. d. Omnes dies
nostri sunt vespera, h. e. nox, perpetua. Re-
spicit enim ad hoc quod dixerat v. 6. *Manè
florebit homo & recreatur, vespere excinditur &*

exarescit. Sicut autem mane diem ita vespe-
 ra noctem includit. Gen. 1: 5. 8. 13. Cocce-
 jus itaque rectè cum hoc loco confert locum
 Jer. 6: 4. *Væ nobis* כִּי פְנֵה הַיּוֹם כִּי יִנְטוּ צַלְלֵי עֶרֶב
 quia abiit dies, quia inclinarunt umbra vespertina,
 inquit, dies dicitur פְּנוֹת qui advesperascit Jer.
 6: 4. Hic sensus evidens. Omnes dies nostri tene-
 brantur, nullus est purus & liquidus, nullus sine ma-
 cula, sine nube sine mœrore & tristitia. Talis meta-
 phora Job. 8: 9. & 18: 5. 6. in contrarium Job. 11:
 17. Ac verbis sequentibus, *conscimus annos no-*
stros כִּמּוֹ הַנְּהָרָה ut *halitum* (ubi הַנְּהָרָה notat loque-
 lam, sonum, halitum, qui ex ore prodit, Job. 37: 2.
 & minimum durat) innuit se totum tempus
 hoc, quanquam diuturnum, (loquitur enim,
 non de diebus, sed de annis) consumere inani-
 ter, sine assequutione regni Dei promissi, per-
 inde ut Israel, qui in deserto cum multis mi-
 seriis colluctabatur, & tandem moriebatur,
 promissam hæreditatem Cananæam non asse-
 quutus. Quo pertinebat illud Ps. 78: 31. 33.
Ira Dei adscendit in ipsos & occidit - - & con-
sumpsit בַּהֲבֵל in halitu, vapore, dies illorum, an-
 nos illorum בְּבַהֲלָה eum celeritate, cum præcipita-
 tione, abrumpens eos antequam promisso poti-
 rentur. Quamvis enim eo tempore improbæ,
 Antichristus, diceret, non nutabo, in ætatem & æta-
 tem erit qui non est in malo, Ps. 10: 6. ejusq; satellites,
 mercatores illi spirituales, gloriarentur, *hodie vel*
eras proficiscemur in illam urbem, Tyrum seu Ba-
 bylonem mysticam, & *agemus ibi annum unum,*
 & *mercabimur & lucrabimur,* Jacob. 14: 13. ni-
 hil

hilominus frustra erant utrique. Nam vita eorum erat ἄρπυις vapor ad exiguum tempus apparens & deinde disparens, ibid. v. 14. hoc quod affectabant, regnum perpetuum, aut prosperitatem longinquam, quin nunquam desitutam, non assequuturi. Quia certè חבל halitus, vanitas filii hominum, כזב mendacium filii viri, laici & clerici, Papæ addicti. In bilancem adscendant, illi מהבל præ vanitate una sunt. Ps. 62: 10. Sed, antequam spes illorum caderet, expectatio fidelium, regnum Dei expectantium, velut halitus ex ore exiens, evanescebat. Ad idem tempus eandemque rem refero illud Ps. 39: 6. *Ecce palmares fecisti dies meos, & vitale avum meum est quasi non esset coram te, certè omnis vanitas omnis homo stans.*

17. Sed quorsum referemus hoc quod adjungit, *dies annorum nostrorum in iis, h. e. eos quod attinet, sunt septuaginta anni, & si in fortitudine, octuaginta anni: & eximium illorum miseria & vanitas.* Nam exciditur celeriter & avolamus. Coccejus alique existimant, Mosen heic loqui de vulgari vitæ modo ac termino, non tam qualis erat ipsius aut patrum tempore, vid. Deut. 34: 7. coll. Gen. 47: 7. quam qualis futurus erat tempore sequuturo: adeoque eum conqueri de imminutione ætatis humane, quæ sub V. T. pro pœna habebatur, quia longævitas erat inter promissiones. Sed qui istud cohæreat cum eo quod idem addit, *Orationem hanc esse propheticam, & representare affe-*

*Sum fidelium sub Novo T. in ultimo certamine, non video. Non ierim inficias, Mosen querelam hanc ori Ecclesie Novi T. predicti temporis, eorumve qui in ea forent tanquam Moses mysticus, indidisse, desumpta occasione ex eo quod sua etate contingere videret, nempe quod Israelitarum plerique, quos Deus non habebat gratos, non intraturi in promissam requiem, (inter quos & ipse & Aaron erant) prosternerentur in deserto, antequam annos suos complessent, aut etatem ipsius (qua fuit 120. annorum) attigissent, septuagenarii puta, aut ad summum octogenarii, & postquam multas molestias devorassent. Idque eò, quia sciebat hæc eis typicè evenire, d. I. Cor. 10:11. & prævidebat hunc typum etiam habiturum antitypum suum in illis, qui sub Papatu diem suum erant obituri, antequam complementum promissionis, plenam mundi hæreditatem, vidissent. Opinor tamen Mosen, aut, quam loquentem introducit, Ecclesiam, jugo Antichristi pressam, heic spectare ad tempus captivitatis Babylonicæ (quod fuit 70. an. Jer. 25: 11. 12. Dan. 9: 2.) & cum eo suam componere etatem. Nec insolens est rem typo designatam insigniri appellatione typi. Perinde est igitur ac si dicat, *dies annorum nostrorum*, h. e. summa annorum, periodus temporis quod in Babylone mysticâ exigimus, non absimilis est illi, quâ Israel in Babylone, proprie dictâ, captivus*

vus hæsit. Ejusque temporis excellentissimum est miseria & vanitas. 𐤀𐤃 𐤂𐤀 excellentissimum, propriè significat ferociam, fastum, elationem, animum magnum, & antonomasticè ferociam Ægyptiorum. Ps. 87:4. Es. 30:7. 51:9.

18. Indigitari reor regem spiritualis Ægypti, Papam Romanum ejusque elationem, quâ Ecclesia, sic dicta Catholica, eo tempore se efferebat & insolescebat, quasi ille esset Christi vicarius in terra, totius Ecclesiæ caput, summum decus suum. Quanquam caput illud excellens, quo tantopere gloriabantur, non majori ipsis solatio esset quàm rex Ægyptius Israeli fuit, cum non aliud afferret quàm 𐤀𐤃 𐤂𐤀 miseriam & vanitatem (seu nihilum) laborem & iniquitatem. Quorum prius ad ærumnam à tyrannide ejus profluentem, posterius ad idololatriam à seductione ejus profectam, refero. Confer. Ps. 10:7. 14. 94:20. An sociabitur tibi thronus nequitiae, qui fingit 𐤂𐤀 ærumnam præter statutum? Ubi & ministri ejus v. 4. appellantur 𐤀𐤃 𐤂𐤀 operarii iniquitatis, h. e. cultus idololatrici, à viciis defectionis à lege, sicut passim. Vide Ps. 7:15. 10:7. Jel. 32:6. &c.

19. Sed cur addit, & si in robore, octoginta anni? Nimirum, quanquam annus septuagesimus erat terminus, captivitati Babylonice præstitutus, nihilominus Judæi annis illis exactis, non omnes simul è Babylone emigrarunt, sed pedetentim & quasi tur-

matim , primum sub Zorobabele , deinde iterum sub Ezra, Ezr. c. 2 : & 8: Ita quoque exitus populi Dei ex Babylone mystica non fuit simultaneus. Primum enim , exacto tempore præstituto , exiere Waldenses, deinde post aliquod temporis intervallum Hussita. Quos hic indigitari reor verbis, si in robore , quoniam exitus eorum conjunctus fuit בְּנִבְרוּחַ *victoriis*. Siquidem נְבוּרָה *victoriam* notat , sicut חֵלְשָׁה *cladem*. Exod. 32 : 18. Tandem Protestantes, cum opus Dei in servis ejus conspici cœpit. v. 16. Quanquam post secundum illum , & antè ultimum hunc , exitum elatio illa pontificis Romani , & nata inde miseria atque vanitas , novas vires resumpserit, ut imminuta videretur. Ita ut Ecclesia conqueri cogeretur se septuagesimo quasi, quin & octogesimo , illius captivitatis anno, cum se libertatum iri speraret , tamen intermori , non visâ promissione consummatâ. Quorsum etiam spectat addita ratio. Nam exciditur , resecatur, h. e. resecamur, impersonaliter, *celeriter & avolamus*. Fideles quippe, post Hussitarum fortitudinem & victoriam, invalescente iterum Antichristo , resecabantur ut pili , vel ut gramen, nempe falce persecutionis , & avolabant ut aves , h. e. ocyus solum vertere cogebantur , ut se, avicularum instar, eriperent è manu aucupis, uti est Prov. 6: 5. h. e. ut persecutorum suorum rabiem effugerent. Sic *avolare* pro malum effu-

fugere, Ps. 55:7. Es 30: 20. *avicula* pro fugientibus. Ps. 11:1. Thren. 3:52.

20. Causam calamitatis innuit v. 11. cum dicit, *quis noscit vim iræ tuæ, & secundum timorem tui, excandescentiam tuam?* Respondet hoc versui 8. Sensus hic est: Nemo est qui fatigat cognoscere, qui perpendit & ad animum revocat vim ac vehementiam iræ & excandescentiæ tuæ, per quam, præ zelo gloriæ tuæ, pravitates nostras, eam imminuentes, atque etiam occulta nostra, vindicas v. 7. 8. convenienter timori tuo h. e. sicut dignum est te metuere revereri & colere, ut nos, præ timore iudiciorum tuorum, à pravitatibus nostris seriò ad te convertamus, neque pergamus te tam temere ad iram provocare. Deut. 13:11. Ps. 119:120. Hæc causa est quod consumamur irâ tuâ, & excandescentiâ tuâ percellamur.

21. Adjicit Ecclesia petitionem illius sapientiæ, per quam in calamitate illâ se ita, ut oportebat, gereret v. 12. *Numerare dies nostros ita doce nos ut accipiamus cor sapientiæ.* Alii sic referunt ad iram Dei, q. d. Fac iram tuam ita cognoscamus ut numeremus dies nostros. Ego verterim, *Scire fac*, h. e. doce nos, *numerare dies nostros rectè, & inducemus cor sapientiæ.* Nam *רֵדוּ יְדוּ* etiam significat rectè, ut Num. 27:7. 2. Reg. 7:9. Alludi opinor ad exemplum Danielis, qui tempore captivitatis Babylonice jam ad finem vergente, inquirebat in annos ei à Deo præstitutos,
Dan.

Dan. 9: 2. Ego Daniel consideravi ex libris numerum annorum, quibus fuerat verbum Jehovæ ad Jeremiam prophetam completas fore vastitates Hierosolymorum, septuagesimum annum esse, & ex eo animum sapientem accipiebat, ut oraret Jehovam Deum suum, &, confitens peccata populi, justamque Dei vindictam agnoscens, iram ejus deprecaretur, & gratiam ejus imploraret, ibid. v. 9-19. dicens, *Avertat jam se ira tua & exardescencia tua à civitate tuâ Hierosolymâ, & fac ut luceat facies tua super sanctuarium tuum, quod desolatum est.* Rogat enim Ecclesia ut, ad ipsius exemplum, numerent dies in scriptura præscriptos, ut observent signa temporum, ut ex S. Codicis indiciis cognoscant tempus consummandæ reformationis instare, eoque adducantur ad confessionem tam sui peccati quam justitiæ Dei, & ad deprecationem iræ ejus, atque implorationem gratiæ. Quæ erat sapientia. Quia Deus, sicut reliqua promissa sua, ita et promissam reformationem Ecclesiæ non erat impleturus, nisi intercedentibus fidelium precibus, earumque exauditione, quæ *responsio Dei* ad earum preces audit. Confer cum hac precatone precatonem ejusdem Ecclesiæ Ps. 39: 6. *Fac me nosse, Jehova, finem meum, & mensuram dierum meorum, quanta ea sit: noscam quanti avi ego sim.*

22. Querimoniam Ecclesiæ de morte suâ præsentem expendimus: sequitur rogatio vitæ

v. 13-17. Heic rogat illa primum commutationem status sui miseri, deinde promissarum benedictionum exhibitionem.

Status sui commutationem petit v. 13. *Convertere Jehova, quousque? & pœnitentia afficitor supra servis tuis.* Deus, Christusve, propter summam infidelium contumaciam & supinam ipsorum fidelium negligentiam, gratiam Novi T. quasi in iram V. T. & vitam Ecclesiæ quasi in mortem, converterat, eam scepro ferreo regens, & speciem duri domini, quin habitum pastoris stulti, induens. Rogat itaque Ecclesia, ut *Deus se iterum convertat utque eum ipsorum pœniteat.* Quæ, *ὁ ὁ ὁ πω πο πα δ ὁ δ ὁ δ* dicta, *θεοπεπῶς* intelligenda sunt. Deus enim dicitur se, humano more, *convertere* cum secundū propositum suum immutabile, iræ indicia in indicia gratiæ convertit: & *pœnitentiā affici super servis suis*, cum, ex eodem proposito, miseriam eorum cum meliore statu commutat, perinde ac si miseratione eorum tangeretur, & miseriæ ipsorum, hominis instar, indolesceret. Quod posterius desumptum est ex Deut. 32:36. Ubi quod dicitur, *Tunc propter servos suos pœnitebit ipsum*, spectat quidem ad gratiam, quæ Ecclesiam manet in fine seculi, heic tamen transfertur ad gratiam ei tempore reformationis exhibendam; quoniam hæc gratia illius primordium, illa hujus complementum foret. Interrogatio, quam *interferit quousque?* exprimit longinquitatem tyrannidis Antichristi

sti & oppressionis fidelium, perinde ut Ps.
6: 4. 13: 3. 79: 5. 94: 3. &c.

23. Promissam benedictionum exhibitio-
nem petit primum generalius, deinde spe-
cialius. Generalius v. 14. 15. *Satura nos ma-
tutino, gratia tua, ut jubilemus & letemur totos
dies nostros. Letifica nos secundum illos dies qui-
bus nos debilitasti, annos quibus vidimus malum.*
Heic gratiam petit lætificantem, eamque peti-
tionem adstringit, ducta ratione à diurni-
tate miserix. Gratiam petit, inquit, *Sa-
tura nos matutino gratia tua.* Aliud heic intel-
ligit *matutinum* quam v. 5. 6. Siquidem illic
sermo est de matutino Novi Testamenti, no-
ctem Veteris insequuto, quod Jes. 8: 20. *au-
roræ* appellatione venit: heic de matutino re-
formationis, noctem Papatus insequuturo.
De quo etiam intelligo illud Ps. 46: 6. *Non
movetur urbs Dei, auxiliatur ei Deus appetente
matutino, &* istud Ps. 49: 13. *Mors ipsos pa-
scitur, & dominantur in eos recti matutino.* Hoc
matutino exposcit *satietatem* divinæ gratiæ, h. e.
restitutionem illius satietatis, quam initio N.
T. nacta erat Ecclesia, Es. 55: 1. 2. Matth. 5: 6.
Joh. 4: 13. 14. 6: 35. quæ penuriam illam &
esuriem gratiæ, quæ fuerat sub Papatu, vid.
Ps. 33: 19. 37: 19. Ezech. 36: 29. 30. Apoc. 6:
8. perinde ut sub veteri T. supponit. Hanc
autem expetiteum in finem *ut letarentur totos
dies*, h. e. ut perfunderentur gaudio perma-
nente, nunquam iterum ab Ecclesia tollendo
Joh,

Joh. 16:22. Hoc gaudium pollicetur sibi similiter Ecclesia reformata Pl. 23: 5. 6. cum ait, *Poculum meum est irriguum, certe bonum & gratia persequentur me omnes dies vite meae.* Urget eam petitionem argumento petito à diuturnitate miseræ, quam & superiore versu indicaverat voce *quousque?* q. d. Fieri enim non potest ut ira tua contristans diuturnior sit exhilarante gratiâ. Nam *momentum, est in ira tua, vita in benevolentia tua: vesperi adest fletus & mane jubilum.* Conf. Jes. 54: 7. 8. *Hoc orare, ait Coccejus, erat Christianorum in varia oppressione imprimis Antiebristi. Confer Pl. 77: 8. An in seculum rejiceret Dominus? . . .*

24. Eandem benedictionem petit specialius v. 16. 17. *Conspiciatur in servis tuis opus tuum & majestas, magnificentia, μεγαλοπρέπεια, tua super filios ipsorum. Et sit amenitas Jehovæ Dei nostri super nos, & opus manuum nostrarum confirma apud nos, imo opus manuum nostrarum confirma.* Hæc petitio tripartita est. 1. *Conspiciatur, ait, in servis tuis opus tuum.* Per opus Dei heic intelligo suscitationem mortuorum, qualem ipse in initio N. T. præstiterat, cum diceret. *Redite filiū hominis v. 3.* Quo etiam emblemate reformatio (quæ heic innuitur) significatur. Pl. 71: 20. *Qui me fecisti videre angustias multas & malas, rursus vivificas me & ex abyssis terræ rursus educis me, Psal. 86. 13. Benignitas tua magna est erga me, & erxisti me ex imo sepulchro.* Conf. Matth. 16:

18. Hoc opus Dei, quo ipse populum suum redemit ex Ægypto mystica, non minus *manu forti & brachio extento*, quam quo Israel em redemerat ex Ægypto typicâ, Deut. 4: 34. coll. Jes. 14: 26. 27. 19: 16. &c. fuit opus, si quod aliud, verè stupendum, diuque à fidelibus expetitur & expectatum. Vox *לַעֲבֹד*, quæ vel *preparationem ac molitionem* notat, cum à *מִצְוָה* opere perfecto distinguitur, vel etiam pro fructu & effectu molitionum, seu *mercede*, sumitur, Job, 7: 2. 34: 11. heic significat talem molitionem Dei à seculo effectum, qui simul esset molitio ulterioris operis. Quomodo reformatio Ecclesiæ, & damnorum ejus restitutio, ita erat anteriorum Dei molitionum effectus ut simul esset molitio seu præparatio, peremptorii excidii Antichristi & plenæ consumationis regni Dei ac resurrectionis mortuorum. Coccejus hanc petitionem refert ad tempus novissimum. *Maxime, inquit, hæc petitio (ut clarum est ex Cantico Mosis, unde David hanc petitionem formavit) pertinet ad gratiam ultimi temporis, cum futura erant Ecclesiæ maxima certamina, & cum quasi à mortuis est revocanda.* Verum heic spectari ad tempus reformationis (quod initium est secundæ resurrectionis mortuorum) indicat ipsum petitionis hujus argumentum, quod tractum temporis habet; quippe partim patribus partim filiis exhibendum. Addit enim Ecclesiæ *הַרְרֵי* *Majestas tua super, apud filios ipsorum, petens ut*

ut filii reformatorem, Christo regnum suum
 ineunte, fiant regni ejus consortes ejusque
 cohæredes. Intelligit enim *הדר* honorem quo
 Christus erat redimitus (qui Ps. 145: 12. dici-
 tur *מלכותו הדר* majestas regni ejus Conf. v. 8.)
 hæctenus fumo Antichristi inobscuratum,
 sed hoc dissipato, iterum gloriosius apparitu-
 rum. Cum autem rogat ut *opus illud Dei* *ל*
in servis ejus, reformatis, non amplius Anti-
 christo, sed soli Deo ac Christo servientibus,
 utque *majestas ejus* *ל* *super filiis*, h. e. poste-
 ritate, eorum, *conspiciatur*, hoc præcatur, ut
 tempore quidem reformationis multi è Papa-
 tu, conspecto stupendo illo reformationis
 opere, (quod, uti dictum, erat opus suscitati-
 onis mortuorum) in reformatis è morte in
 vitam traductis, 1. Joh. 3: 14. se ad Deum,
 operis illius auctorem, converterent, & re-
 formatis aggregarentur, secundum illud Ps.
 94: 15. *Ad justitiam revertetur judicium*, *Et post*
illud erunt omnes recti corde: utque tempore
 adventus regni Dei consummati totus mun-
 dus ad gloriam Dei, super reformatorem fi-
 liis conspicuam, accurrat, secundum prophe-
 tiam Jes. 60: 1. 2. Apoc. 21: 11-26. ubi ad
 novam Hierosolymam, habentem gloriam
 Dei, omnes gentes confluunt.

28. 2. *Et sit amœnitas Jehovæ Dei nostri super*
nos. *עַם*, à *עַם* suavem amœnum, esse, signifi-
 cat suavitatem, amœnitatem. *עַם יְהוָה* heic
 Ps. 27: 4. notat eam exuberantiam gratiæ &
 Class. III. Fasc. V. Fff boni-

bonitatis Dei, aut Christi, (quem Ecclesia
 heic, Patrem invocans, vocat *Jehovam Deum
 nostrum*) quâ ille tunc se reddet admirabi-
 lem, cum se *αγιος Jehovam, Deum Ecclesiae
 suae* demonstraverit, cumque, absterfis ab
 omnibus faciebus lachrymis, & opprobrio
 populi sui à tota terra amoto, *Jes. 25: 8. Ec-
 clesiam suam* spiritualibus *χαρισματα*, supra
 mensuram & modum cumulaverit sine fine,
 requiescente super eâ Spiritu gloriae. *1. Petr.
 4: 14.* Quando ea dicet, *Ecce Deus noster, quem
 exspectavimus & qui salvat nos: hic est Jehova,
 quem exspectavimus, gaudeamus & letemur in sa-
 lute ejus.*

3. *Et opus manuum nostrarum concinna apud
 nos.* Imo opus manuum nostrarum concinna, sta-
 bili, confirma. Intellego hoc de opere con-
 versionis Judæorum & gentium, tempore no-
 vissimo instituendo. Quod consideratur ut
opus manuum Ecclesiae, quanquam à Deo, ex-
 citante, cooperante ac benedicente, profe-
 ctum, quoniam Ecclesia ejusque Doctores
 tunc, opus Dei, de quo *v. 16.* suo opere con-
 summaturi, erunt velut agricolæ & ædifica-
 tores, plantaturi ac rigaturi, sed
 Deo dant ecrescendi vim *1. Cor. 3: 7. 9.* &
 unico fundamento, Christo, superædificaturi
 domum, *ibid v. 10, 11.* sed fortunante Deo;
 quia, nisi Jehova ædificet domum, frustra la-
 borant ædificatores ejus de ea. *Pf. 127: 1.* In
 hoc enim opere est omnium promissionum ac
 moli-

molitionum Dei consummatio. Quare, cum Psaltes antea usus esset voce לעב , heic adhibet vocem מעב , quarum illa, ut dixi, molitionem seu preparationem, hæc illius perfectionem seu consummationem, notat. Quæ Deut. 32: 4. exprimitur per לעב תמי molitionem perfectam Rupis. Ingeminatio hujus precati-
onis spectare videtur ad prædictam tum conversionem Judæorum futuram, zelo Ecclesiæ reformatæ renovato illos ad æmulationem Messiæ provocatiuro, (quorsum fortasse pertinet טו *super nobis*) tum ad conversionem gentium Judæorum quidem conversorum opera potissimum perficiendam, attamen operi manuum Ecclesiæ Reformatæ (cujus ea erit consecrarium) adscribendam.

BERNH. PETRI
KARLII, Past. E.

Dissertatio de vero sensu *Visi Danielici de IV. Bestiis*, & speciatim *quartâ decicorni*; contra novam & paradoxam istius de *Monarchis quondam Babylonis*, & *Cyro*, expositionem, à Viro Clarissimo nuper prolatam & speciose infucata.

§. 1.

Multam esse & magnam Auctorum in exponendo Danielis de *quatuor Animantibus* viso diversitatem, (Dan. 7.) neminem fugit. Quamquam enim in eo communiter ferè conspirent interpretes, quatuor illas Bestias (quæ totidem referre *regna*, divinus ipse interpres Angelus v. 16. docet) tot magna orbis imperia, suis singula Rectoribus supremis insignia, designare; in eo tamen vel maximè discordant, quænam illa sint, & a Spiritu S. heic indigentur? aut, quibusnam harum

harum Bestiarum formæ heïc descriptæ optimè sedeant ? Ubi vulgatissima & antiquissima illorum est sententia, qui quatuor sic vulgo dictas Monarchias, *Chaldeo-Babylonicam, Medo-Persicam, Græcam* & *Romano-Germanicam*, heïc æquè ac in colosso illo Dan. 2. præfiguratas statuunt. At alii, cum BROUGHTONO, Anglo, etsi quod ad Bestias tres priores illis consentiant, *quartam* tamè (æquè accurata & pedes cum digitis in dicto Colosso,) non ad Romano-Germanicum, sed ad *Seleucidarum* & *Lagidarum*, imperium; & *parvum cornu*, inter alia X. in ejus capite succrescens, v. 8. ad *Antiochum Epiphanem*, referre malunt: Quam tamen opinionem Celeb. COCCEJUS, ejusque sectator GROENWEGENIUS, L. de *Regno Christi in temporibus novissimis*, c. 5. & 7. satis refutarunt. Alii rursus, cum laudato COCCEJO, Bestias has omnes *infimam* duntaxat Colossi Danielici partem, s. Monarchiam Antichristianam, imperio Romano-gentili jam destructo surrogatam, illustrare credunt: Quam verò expositionem, quantumvis speciosam, modestâ pariter atque eruditâ disputatione dubiam saltem fecit Doctiss. WITSIUS, primæ & antiquissimæ, quam dixi, sententiæ Patronus minimè infelix, *Miscell. Sacr. L. 2. Dissert. 2.* Alii verò cum JUNGMANNO, qui erudita ad Danielem commentaria dedit, quemq; Clar. etiam VITRINGA, Pater, quod ad hoc, sequitur, in *Anacris. Apocal. p. 797. sq. & pag.*

1045. sq. primam quidem Bestiam regnum Cyri Medo-Perficum ; & secundam, Perficum Xerxis ; ac tertiam , Græcum *Alexandri M.* ; quartam verò *Ottomannicum* , præfigurâsse, persuasi sunt : Quæ tamen sententia vel hoc solo se minùs commendat quod saltus sanè nimius ab Alexandro usque ad Ottomannum videatur. Alii aliter.

§. 2. Ab his verò omnibus abit inq; omnia talia, Vir quidam Clarissimus, qui Dissertatione singulari, novissimè A. 1715. editâ, *quatuor illa animalia Dan. 7. de quatuor Babylonis duntaxat Regibus*, Nebucadnezare, Evilmerodacho, Belsazare & Cyro, explicare satius duxit, quàm vel antiquam vel aliam ex memoratis, aut hæctenus cognitis, sententiis sequi: Christianosque hîc Interpretes (qui non idem tamen dicunt omnes,) naso suspendit adunco, quod nimis creduli palpum sibi hîc quoque a Judæorum Magistris induci passi sint, qui in gentis suæ favorem & pudendum Christianorum opprobrium illam Danielis visionem *de IV. Monarchiis*, & postremam speciatiim Bestiam, Sanctorum persecutricem, igne tandem consumendam, de Romano Imperio, tam miserando exitio destinato exposuerint. *Christiani*, inquit p. II. *artis Judaicæ haud conscii, sed & veterum monumentorum sacrarum cognitione non satis imbuti, facile & hîc sibi a Judæis imponi passi sunt. Admiserunt ab illis jactata universalis historiae præsaga compendia Nebucadneza-*

ris & Danielis. Quatuor per orbem, ad illius finem, Monarchiae Christianis haud circumspēctis obtrusa ab astutis Judaeis, ut cogerentur his largiri Romani imperii ruinam, & suam in illā libertatem, avitā majorem. Ita placuit & Christianis, imperium Romanum in hunc usque diem, cum Judaeis quartam & ultimam dicere Monarchiam, pedes Colossi ferreos & luteos, simul ruituros: Quartum animal, horrendum, cum tot fastigiis, cum parvo, inter reliqua assurgente, igne consumendum. Ipse verò p. 12. Scopum tum in Colosso tum in IV. Animantibus, fuisse putat, praesentem Judaeorum in exilio Babylonico fortunae faciem, & eventum Judaicae ecclesiae, portendere & praesagire, in proximiè Babylonia reditus spem. Huc unice illas imagines & Symbola, sive in Colosso sive in Animalibus, tendere. Quam Autoris de viso Dan. 7. sententiam, prorsus, quantum nobis quidem constat, novam, & nemini haecenus vel fando auditam aut cogitatam, nunc expendere, ejusque ostendere infirmitatem, conabor: proximā etiam occasione (si Deus velit) demonstraturus, Colossū quoque Dan. 2. perperam oppidò, invitòque Spiritu S. ad sola ejusdem regni Babylonicī fata trahi, receptamque de illo expositionem frustra sollicitari.

§. 3. Ut verò in luce versemur clarissima, missis tantisper Bestiis tribus prioribus, quæ ob pauciores, quibus describuntur, circumstantias variis obnoxiae esse possunt expositionibus. Quartam nunc ante omnia lustremus ac-

curatiùs, & quæ de illa referuntur, quæq; ejus excisionem subsequuntur, num ad *Cyrum*, resque ab eo gestas, & populi Judaici e Babylone liberationem, applicari, vel accommodari saltem aliquatenus, possint, videamus. Principio illud quidem paradoxum nimis nemini non videri debet, quòd *Cyrum*, in prophetiis (Esa. 44: 28. c. 45: 1. ff. & v. 13.) ut *servum Jehovae*, ejusque *Unctum*, ipsiusque adeò *Messia* typum valde illustrem, consilii voluntatisque Dei, in populo Judaico a Babylonicorum jugo & captivitate septuagintennali liberando, executorem obsequiosum, diu etiam, antequam nasceretur, ad hoc promissum, suoque jam nomine gratiosè appellatum, ac postea quoque ut talem ab historiae sacrae Scriptoribus Canonicis (V. Efr. 1: 1. 2. 2. Par. 36.) prædicatum, Cl. Autori designet *Bestia hæc quarta*, tm sæva & atrox, populoque Dei præ reliquis omnibus, præque ipso adeo Nebucadnezare, (quem *prima* hîc vel ex ipsius mente repræsentat,) tam infesta & gravis, imò in ipsum Deum blasphema: de qua v. 11. & 25.

§. 4. Equidem Vir Cl. pag. 30. inter CYRUM priorem & posteriorem distinguit, eumque, licet postremò *Judeis* faverit, antè tamen, in bellis adversus Belsazarem, *Judæa* quoque, huic tunc parentem, & *Judeis*, *dira* minatum, & quod p. 38. addit, *contra Dei leges aut cultum*, aliquo adhuc modo sub jugo Babylónico in *Judæa*

dea reliquum, quoad jure præsertim sacrificium & dies aliquot festos, pro umbra veteris cultus, dira pronuntiâsse, Judæos, ibi existentes, delevisse, & dies festos illorum & religionis reliquias evertere conatum esse: eamque afflictionem Judæorum in Palaestina sub Cyro in illa Syriae invasione tribus & dimidio annis, sub exilii Babylonici finem durasse. Sed gratis hæc, & contra Scripturæ autoritatem, dici, nemini obscurum esse potest. Scripturæ enim CYRI nusquam nisi cum laude, utque Vindicis ac Liberatoris populi Dei, meminerunt. Et, cum Angelus, Vili hujus interpretis utique *אֲזִיבְנִי* (v. 16.) afflictiones, a cornu illo parvo blasphemio Sanctis inferendas, *tribus cum dimidio temporibus* s. annis duraturas, v. 25. memoret; ipse verò Autor, *Cyrum XX. annis a primo Belsazaris usque ad reditum reliquis, intolerabiles plagas Judæis intulisse* (occupatâ nimirum Syria, & terris vicinis omnibus, adeoque & Judæâ,) p. 29. fateatur; quis non videt, ad CYRUM illa, quæ de Bestia quarta ejusve cornu parvo hîc referuntur, spectare haudquaquam posse, vel istum Angeli calculum esse sollicitandum? Quod ne facere videatur Autor, dicis saltem causâ postea p. 38. s. has Cyri vexationes *tribus duntaxat cum dimidio annis* ex v. 25. ipse quoque circumscribit, sibi que adeò aperte contradicit. Quòd si dixerit, hocce tempus a Belsazaris demum cæde esse putandum; respondebitur, hanc, vel secundum ipsummet Autorem, (p. 31.) factam esse post annos

LXIIIX. captivitatis & imperii Babylonici jam finitos, non nisi duobus ad Judæorum reditum reliquis. Unde, illa minùs cohære, facillè patet.

§. 5. Sed si quarta Bestia CYRUM designavit, jam ab initio regni Balsazaris (quem Bestia tertia figuraverit) huic, ejusque ditionibus ac subditis, in Syria vicinisque terris omnibus, adeoque & Judææ ac Judæis in illa gravem, & minas terribiles in eos effundentem; (ut p. 29. scribit Vir Cl.) quomodo, quæso, quarta illa Bestia a Daniele post tertiam demum visa est provenire, ita nimirum, quemadmodum tertia post secundam, & hæc ipsa post primam, prodire illi erat visa? v. 7. 6. & 5. Hoc nemo, credo, satis capiet.

§. 6. Et quis vel in speciem aliquam conciliabit illa, quæ Cl. Autor mox de quarta Bestia, quæ, ut dictum, CYRUS ipsi est, pag. 22. sq. ejusque X. cornubus, quos Medorum esse Reges, putat, qui partim jam ante Cyrum extiterint, partim tunc adhuc floruerint, ex quibus Medo Persis Cyrus ortus sit, p. 23. scribit; deque cornu illo parvo, quod inter X. ista emergere, Daniel v. 8. vidit; quæ ipsi rursus scitissima imago Cyri, Medo-Persici generis, videtur, utpote qui Cornu parvum vocetur, bellâ scilicet allusione vocum ציר seir & כורס Cores, quin & ad ortum Cyri tenuem & spretum collimando. Quid enim, num Cornu hoc parvum est ipsa illa Bestia, cujus ex capite illud post alia demum decem novissimè emerit?

merfit? numve decem illi Medorum reges, ex quibus ortus est Cyrus, ex ipso jam rursus Cyro ortum traxerunt; quemadmodum decem illa cornua, quæ e Bestiæ quartæ capite, illa gestante, procreverunt, v. 24. decem reges, ex imperio quarto oriundos, designare dicuntur? Imò, num *cornua*, saltem aliqua, e capite Bestiæ cujusdam, antequàm ipsa existat, pronasci possunt? Quis, inquam, ista vel aliquam in speciem conciliare poterit? Anne hæc ἀτοπα καὶ ἀσύστατα, sapientiâ Dei digna censenda? Annon meliorem divina visi hujus prophetici emblemata nexum habere atque ordinem; aut Spiritum S. fumum nobis vendere, putabimus?

§. 7. Prætereo nunc, Belsazare imperante illos Medorum reges, quos Diodorus ex Ctesia recenset, Nosterque per *Cornua* Bestiæ quartæ designatos putat, plerosq; saltem, dudum *extitisse & floruisse, jam ante Cyrum*: (ipsomet p. 23. & 38. fatente;) quomodo igitur *post* Bestiam tertiam, quæ ipsum *Belsazarem* referre, Autori creditur, ejusve imperium, ex succedente Cyro ejusve regno, quasi Bestia quarta, prædicti reges isti *proventuri* demum, potuerunt prædici *sub* imperio Belsazaris? Vid. v. 1. 7. 24. ubi Interpres Visi ait, *Cornua X. signant X. reges, qui ex illo regno (quarto) provenient; post illos verò alius exsurget potentior, quàm ullus anteriorum &c. quem per cornu parvum succrescens in hoc viso designatum,*
 ipsam

ipsum fuisse *Cyrum*, seu *Medo-Perficum* ejus imperium, Autor statuit, æquè ac ipsam illam Bestiam, ex qua parvum illud cornu post alia X. succresciturum dicitur.

§. 8. Sed nec ullibi in Scripturis Sacris Judæi dicuntur in captivitate Babylonica *Cyro* serviisse; ut qui nec uspiam *Rex Babylonis*, s. *Babylonicus*, à quoquam, præterquam à Nostro, est appellatus: Sed cum Jer. 25: 11. 12. Judæi omnibus LXX. exilii Babylonici annis Regi seu Regibus *Babel* dicuntur *servituri*, istud c. 27: 7. ad solam *Nebucadnezaris* propaginem s. *filium*, *Evilmerodachum*, & *nepotem*, *Belsazarem*, (qui *Nerigliffore*, & *Laboroso* archodo, injustis regni usurpatoribus, occisis, Patri in regno avito successit,) restringitur: Cum Noster contra *Cyrum* non minùs, quàm illos, durissimo Judæos jugo in *Babylonia* quoque pressisse, p. 36. Autor sit, seu fingere necesse habuerit. Taceo, quòd, *DARIO MEDO*, qui tamen ἀπέσωσεν *Belsazari* in regno *Babylonico* successit, & sub quo Judæis in *Babylonico* exilio duobus adhuc annis postremò fuisse hærendum, ipse p. 32. agnoscit, prorsus neglectò, *CYRUM* huic statim successorem quartamque aded Bestiam, statuat.

§. 9. Quàm verò frigidè, imò prorsus coactè, explicat Vir Cl. vel ex sua hypothefi explicare debuit, quæ v. 11. de sententia & executione vindictæ divinæ de animali hoc cadendo & cremando, dicuntur: quam ille promissionem

nem esse, putat, hujus etiam immanis hostis, Cyri, suo tempore divinâ manu compescendi, ne ecclesiæ ampliùs noceret: Cùm enim ipse agnoscat, extinguere & cremare cadaver animalis, respicere morem Synedrîi, quò magnorum rerum corpora cæsa igni committebantur cremanda, p. 30. & statim ibi subjicit, hanc figuram Judicii Hierosolymitani hoc loco tesseram esse rerum ecclesiæ Judaicæ aliquando in melius mutandarum, ut Cyri æstus immanis extinguatur, isque vel pereat, divinâ manu ultrice, vel in gratiam Judæis exhibendam convertatur; aquam heic ipsi hæere, satis ostendit. Horum enim prius, quod implendo huic per Cyrum vaticinio omnino debitum fuisset, reapse non evenit; posterius verò, quod faustissimo exitu evenisse, Autor dicit, Cyro nimirum Judæis reditum indulgente, verbis Spiritus S. tam emphaticis, de Bestia quartâ occidendâ, ejusque corpore perdendo & igne absumendo, v. 11. & præsertim 26. (ubi non tantum potestas ejus sublata, sed ipsa etiam מַסַּחֵר אֶת־הַיָּם ad finem s. terminum & exitum plenarium, perdita atque consumpta dicitur,) exhauriendis haudquaquam sufficere, nemo non ultrò fatebitur, & vel ipsa Autoris conscientia.

§. 10. Et, cui non nimius videatur saltus ille ingens a Cyro usque ad Christum, vel, a liberatione populi Dei per Cyrum, ad liberationem ejus mysticam, per Christum factam; has-

hasque ambas ita conjungere, quasi una sit atque eadem, vel saltem cohæreant, & utraque vel tam diversa utriusque temporis ereptio & exaltatio uno eodemque emblemate, scilicet *Filii q̄s. hominis, in nube cæli ad thronum Dei adducti & imperio totius orbis mactati, præfigurentur.* v. 11. 14. coll. v. 25. Ita enim ad v. 14. p. 34. Autor: *Quæ luculentissima effigies ecclesiæ non solum a Babylonico jugo tunc indubitato liberanda libertatique pristinae restituenda, patriæque reddendæ, sed & præcipue ad istam Messia olim tempore gloriam evehenda, quæ fiat in Messia & illius verbo ac Spiritu, domina, omnibus hostibus superior, peccatis morteque pressis & supplantatis. Quæ ecclesiæ aut Sanctorum felicitas & sequutura Messiaæ ævo prosperitas atque beatitudo illustratur amplitudine novæ illius ecclesiæ; omnes populi, gentes & linguæ, huic servient. Quod indicium est verbi divini per totum orbem disseminandi & gentium ad agnitionem veritatis perducendarum Apostolorum ministerio &c. Hui! quantus hic saltus, quantus hiatus est. Spiritus S. certè statim post severum illud supplicium de Bestia decicorni, parvoque speciatim cornu, sanctos vexante, inque Deum ipsum blasphemio, sumtum, Sanctos regnum, ait, accepturos..* v. 18. Ad quem versum Autor p. 36. ita commentatur: *Post hos (Nebucadnezarem, Evilmerodachum, Belsazarem & Cyrum,) LXX. exilii Babylonici annis completis, Sanctos cœlitum, aut Dei (qui supra v. 13. Hominis, sapientis, nomine venerant,) recuperaturos* re.

regnum & servaturos in sempiterna secula, ecclesiam, in exilio hactenus haerentem, redituram in patriam. Post Cyrum sanè nondum statim regnum acceperunt Sancti. Neque enim tunc statim venit Christus: & Sancti post ejus quoque in carne adventum diu adhuc fuerunt pressi, & victi postea a Bestia Apocalyptica: (Apoc 13: 1-7. & c. 17: 3. 7-14.) quam utique quartam hanc Danielicam esse, ex comparatione utriusque facilè patet. Imò si vel maximè ex Autoris hypothese, regnum Ecclesie ad prima ævi Christiani tempora referre tantisper velimus: quem, quæso, fugit ingens illud seculorum complurium interval- lum a Cyro usque ad Christum, sub Persarum, Græcorum & Romanorum imperio elapsum; quo labente, Antiochi præsertim temporibus, infandis omnino malis, in Mac- cabæorum libris passim enarratim, pressus & tantùm non oppressus est populus Judaicus. Unde hæc Viri Cl. de *Sanctorum regno*, quasi statim à soluta captivitate Babylonica, vel sal- tem a nato sive renato Christo, & cum eo manifestato non magis vera est explicatio, quàm illa de Bestia quarta, divina quasi manu, in Cyro, ne ecclesie Judaicæ porro noceret, *compescitâ, occisâ & igne combustâ*: quam su- præ jam notavimus. Quis non miretur, hæc Viro sanè doctissimo & undiquaque versatis- simo venire in mentem potuisse? Certè Pro- phetarum oracula passim *Ecclesie regnum, xal'*

ἔσχατον sic dictum, novissimis N. T. temporibus, *tubā* demum *septimā* (quæ postrema est) clangente lapsuris alligant, ubi illa, ad Christi imaginem, cū in afflictionibus tūm in gloria, conformanda, exantlatis quæ ipsi destinatae cum illo sunt *calamitatibus*, gloriae quoque & *regni* ejus particeps reddetur. 2. Tim. 2: 11. 12. Col. 3: 34. Conf. Esa. 58: 14. c. 60: 19. 20. 21. c. 2: 1. sqq. c. 35: 10. & c. 66: 14. Mich. 4: 1. sqq. & c. 7: 11. sqq. Apoc. 5: 10. c. 11: 15. sqq. c. 19: 6. 7. c. 21: 1-7. &c.

§. II. Cum verò de insolentissimo fastu superbissimisque non minis solum, sed & machinationibus, imò & horrendis *in Deum blasphemis*, quartæ Bestiæ, parvique ejus cornu multa Daniel v. 8. 11. 20. & præsertim v. 25. memoret, quòd nimirum ore suo *grandia* & quidem verba etiam *ἕως* contra & juxta *Altissimum* protulerit, animumque induxerit, tempora & *leges* mutare; quid hīc Vir. Cl. afferre de Cyro potuit, quod his vel aliquodammodo respondeat? *Grandia* illa de consiliis institutisque Cyri *bellicis formidandis* & *terribilibus* exponit p. 24. At p. 29. sq. de *terribilibus minis* Cyri, *Syriae* & *vicinis terris omnibus*, adeoque & *Judæa*, *diraminati*, cum *illas terras omnes*, *fusis Belsazaris copiis*, occuparet: quo tempore illum contra *Dei leges* aut *cultum*, aliquo adhuc modo sub *jugo Babylonico* in *Judæa* reliquum, quoad *juge præsertim sacrificium* & *dies aliquot festos*, *dira pronuciâsse* *Judæos ibi existentes delevisse*, *diesque festos illorum*

Et religionis reliquias evertere conatum esse p. 38.
 ad v. 25. scribit. Quis verò dicere audeat, hæc,
 si vel maximè vera esse supponantur, vel et-
 iam demonstrari de CYRO ex historiis pos-
 sent, vim atque emphasin verborum ac phra-
 sium Spiritus S. hîc exhaurire? Quis cre-
 dat, ista in CYRUM, *Servum illum Unctumque*
Dei, Messie typum, quem omnem ejus volunta-
tem executurum Judæosque e captivitate Baby-
 lonica ex ipsius consilio liberaturum, Esaias
 c. 44: 28. & c. 45: 1. 2. 13. tam notanter per
 Spiritum S. prædixerat, magis quam in ju-
 ratum populi Dei hostem, Nebucadnezarem,
 qui ipsum Domini templum cum omni cultu
 antè everterat, primam ex hypothesi Bestiam,
 convenire; cui tamen nihil tale vel unico
 verbulo v. 4. exprobratur? Quem fugit de-
 nique, hæc eadem illa esse, quæ non solum
 2. Theff. 2: 3. 4. de Homine illo peccati & Filio
 perditionis, Christi & Ecclesiæ N. T. adversario
 præcipuo, *defectionem a lege Christi Evangeli-*
ca molituro, seque super omnem Deum dictum
 (V. 1. Cor. 8: 5. & Joh. 10: 35.) & super o-
 mne *σέβασμα* (h. e. majestatem Imperatoris
 Rom. Vid. Act. 25: 21. 25. c. 27: 1.) elaturo,
 inque templo Dei ut Deus sessuro, Et se ipsum, quod
 Deus sit, declaraturo, sed & Dan. 11: 36. sqq. de
 Antiocho, saltem mystico, s. Antichristo, præ-
 dicta leguntur? *Faciet, inquit ibi Spiritus S.*
Rex ille pro lubitu suo, seque efferet supra omnem
potentem s. omnipotentem (Conf. 2. Theff. 2:

4.) *Et super Deum Deorum loquetur admiranda: Et prosperè aget, donec rigor consummatus fuerit: (Conf. Apoc. 15: 15.) Et ad Deos patrum suorum non attendet; nam super omnia se magnificabit: Sed Deum arcium in sua theca honorabit, (Conf. Matth. 24: 26.) Et Deum, quem non agnoverunt Patres ipsius, colet auro, argento, margaritis, deliciis: (Conf. Apoc. 17: 4. & c. 18: 16.) Et perficiet munimentis arcium cum Deo peregrino, quem recognoscet, cumulabit gloriam Et faciet dominari in vulgus, Et terram pro mercede distribuet. Ubi exposita quodammodo habemus grandia illa, quæ Bestiam hanc quartam, ejusque cornu parvum, tum loquuturum tum moliturum; nec non blasphemias, quas idem hoc ore suo contra Deum eructaturam esse, heic dixerat, non verò speciatim exposuerat, Angelus.*

§. 12. Et quis neget, hæc eadem illa quoque esse, quæ Apoc. 13: 5. 6. 7. de Bestiâ Antichristianâ, grandia locuturâ, osque suum in blasphemias Dei soluturâ, sanctosque per menses XLII. h. e. tres cum dimidio annos, ex stato Dei consilio afflicturâ, iisdem planè verbis & phrasibus, ex hoc viso repetitis, Joannes prædixit: indicio manifestissimo, quartam hanc Bestiam idem illud præsignâsse imperium, quod ista Apocalyptica, itidem *δενάγεως* præsignavit omni procul dubio. Certè, quisquis Caput 13. Apoc. ejusque consequens Apoc. 19: 20. & c. 20: 9. sqq. cum c. 7. Dan. à

v. 3. rectè conferet, facile intelliget, hoc Danielis de *IV. Animantibus* Visum, vel de quarto saltem *decicorni*, unâ cum *cornu parvo* succrescente, & tam atrocia designante, reapse idem illud esse, quod Joannes de Bestia *decicorni*, & altera quadam *bicorni*, ad illam per se relatâ, d. Apoc. 13. 19. & 20. vidit: quarum *illam* corpus imperii Antichristiani politicum suis cum Rectoribus, *hanc* verò, cornu parvo respondentem, ordinem ejus ecclesiasticum (qui alibi *Pseudopropheta*, *Jesebel*, *Meretrix*, *magna Civitas*, *Babylon*, &c. audit) repræsentare, certissimum est: non obstantibus pauculis quibusdam parvisque differentiis, non sine certa ratione intervenientibus. Nobiliss. Launæus istam utriusque imaginis instituit collationem. I. Daniel, postquam tres enarrasset Bestias, quarum prima *Leoni*, secunda *Urso*, tertia *Pardo*, similis erat, quartam, ait, differentem a tribus fuisse prioribus: quam autem speciem habuerit, id tacet. Joannes verò exponit, cum docet, *tres* illarum *species* in hac *una* concurrisse, sic, ut *truncus* corporis *Pardum*, pedes *Ursum*, Os *Leonem*, referret. II. Tam Daniel, quàm Joannes *decem cornua* huic Bestiæ attribuunt. III. Uterque ea exponit de *Regibus X.* exsurrecturis & regnaturis, Dan. 7: 24. Apoc. 17: 12. IV. Uterque in hac Bestia deprehendit *os loquens grandia* & *blasphemias adversus Excelsum*. Dan. 7: 8. 25. Apoc. 13: 5. V. Daniel

G g g 2

vidit,

vidit, cornua hujus Bestiæ gerere bellum cum Sanctis, eisque prævalere: Dan. 7: 21. Joannes, datum ei esse, bellum sanctis facere, eosque vincere. Apoc. 13: 7. VI. Daniel dicit, tradendos esse Sanctos in manum ejus, ad tempus, & tempora & dimidium temporis; c. 7: 25. i. e. tres annos cum dimidio: Joannes, datam ei esse potestatem agendi menses XLII. Apoc. 13: 5. qui tantundem temporis efficiunt. Conf. Apoc. 12: 14. VII. Daniel inquit, occisam esse Bestiam illam, ejusque corpus perditum & incendio ignis traditum: Dan. 7: 11. Joannes, comprehensam esse Bestiam, cumque illa Pseudo-prophetam, ambosque vivos abjectos in stagnum ignis, sulphure ardentis. Apoc. 19: 20. c. 20: 10. Tanta utriusque conformitas satis utique evincit, de eadem re agi. Etenim, num Spiritum S. res omninò diversas, imò diversissimas, emblematis & verbis vel prorsus iisdem, vel ἰσοδυναμίαις, idem saltem valentibus, eodemque circumstantiarum ordine & nexu, describere voluisse aut potuisse putamus? Num visi utriusque descriptio in verbis & loquendi modis ac circumstantiis tam multis (v. g. quod ad utriusque Bestiæ decicornis ortum, gesta, durationem, eventum & judicium, attinget, quæque in hoc singulariter gesta & postea sequuta sunt,) concordare tam accuratè posset, nisi unum reverà & idem utriusque esset argumentum?

S. 13. Quòd si igitur Danielicum hoc de IV.

Be-

Bestiis, & speciatim de quarta, visum, & Jo-
annaum illud de Bestia decicorni & bicorni,
 ejusdem argumenti esse constat, istudque non
 minùs, quàm hoc, ad imperium Antichristi-
 anum & Ecclesiæ N. T. fata pertinet, ad Cy-
 rum illud utique & Judæorum sub V. T. fata
 haud spectat ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

In *Antichristi* certè *regnum* omnes, qui dati
 heic sunt, characteres conveniunt accuratissimè,
 cùm ille non heic magis, quam alibi,
 desiderari in se quicquam, ad literæ de ipso
 scriptæ complementum, sit passus.

Cornua decem Bestiæ, v. 7. 8. si non eadem
 sint, quæ in Bestia Apocalyptica intelligun-
 tur, (quæ unà & simul cum ipsa Bestia regnant,
 & ab Agno victa meretricem nudant & va-
 stant, Apoc. 17: 12. 17. & h. l. fortasse sunt
dentes ferrei, v. 7.) familias decem imperato-
 rias, *Carolinam, Saxoniam, Salicam, Suevicam, Hol-
 landicam, Anglicam, Austriacam, Nassovicam, Lucem-
 burgicam, Bavaricam*, notare possunt, quæ in
Bestiæ Capite, h. e. parte præcipua, videl.
Germanica, (ad quam cetera regna, quæ
 per Bestiæ Apocalypticæ *Cornua* designantur,
 Apoc. 17: 12. tanquam ad *Caput* referuntur,)
 comparent.

§. 14. *Cornu unum parvum*, quod *inter X. illa
 cornua adscendit*, d. v. 8. novum illud regnum
 est, quod *inter X. cornua* h. e. *Reges* s. imperia-
 les familias, *succevit*, scilicet Antichristi, qui,
 ut *Alius post illos surrexit*, v. 24. (quia is olim

Imperatoribus paruit,) *diversus a prioribus*, videl. in forma regiminis. [Conf. Dan. 2: 41. *Regnum erit divisum*: & Apoc. 13: 11. sqq. *Alia Bestia adscendit e terra*, s. ecclesiâ sic dicta catholicâ, ex gentilismo, ceu mari, ex quo Bestia illa prior, decicornis, ib. v. 1. orta fuerat: *habens duo cornua*, & loquens ut Draco &c. it. Apoc. 17: 3. *Mulier*, meretrix magna, *super multis aquis sedens*, cum qua scortati sunt reges terræ, v. 1. *insidebat Bestie coccineæ*, que plena erat nominibus blasphemiarum, *habenti VII. capita & X. cornua*. Et Apoc. 19: 20. *Bestia decicornis & Pseudopropheta*, altera Bestia, bicornis, *signa edens coram illa*, quibus seducebat acceptantes characterem Bestie istius &c. Conf. Apoc. 13: 12. 14.] *Coram illo*, tria e prioribus cornubus evulsa ceciderunt, d. v. 8. & 20. *cum tres Reges* s. familiæ imperatoriæ, Carolina videl. (vel, si mavis, Saxonica,) Salica & Suevica, ab eo humiliatae sunt, v. 24. & eradicatae coram ipso, tanquam de cœlo tactæ, & cœlesti igne atque irâ divina consumptæ. *Oculi*, ut oculi hominis, *in cornu isto*, d. v. 28. ἐπισκοπήν s. curam ecclesiæ indigitant, quam illud sibi præcipuè vendicat. Conf. Apoc. 13: 11. *Bestia altera duo habebat cornua*, *instar Agni*, Christi, ut cuius ἐξουσία s. potestatem, quam cornua signant, & ἐπισκοπή comitatur. (Vid. Apoc. 5: 9. ubi Agno utraque attribuitur,) in se, ut ipsius Vicarium, transfert.

§. 15. *Os*, loquens magna, confessionem nomi-

minis Jesu in hypocrisi, & dictationem legum ad abnegationem, imò blasphemias, notat, quas Bestia Antichristiana per illud cornu loquitur, de quibus & Apoc. 13: 5. 6. 15. item c. 17: 3. nec non h. l. v. 25. *Et, verba contra, imò & juxta* (utrumque enim $\tau\delta$ $\gamma\alpha\lambda$ significat) *Altissimum loquetur*: qui posterior sensus potestatem Antichristi, quâ, ut *Deus* præsumtus, & leges ferre & judicare solus præsumit, indicat. *Bellum*, quod idem hoc cornu cum Sanctis gessit, eisque certâ temporis periodo prævaluit, v. 21. 25. quod & Apoc. 13: 7. 5. de Bestia Joannæa dicitur, facile intelligitur ab Antichristo ecclesiæ illatum, cum Sanctos ante Reformationis tempora in potestatem suam ita redactos habuit, ut illi, etsi non seducerentur ad Bestiam quoque adorandam, tamen viderentur compressi, ut ad tempus consilescerent, sinerentque cornu, s. Bestiam per cornu illud magna loqui, & homines, Christum *Dominum* vocantes, erroris damnare.

§. 16. Et quis neget, Antichristum cogitasse, tempora & legem mutare? cum tempus ac legem Novi foederis mutare in tempus ac legem Veteris foederis in animum induxerit, Leviticum qf. choragium tantum non universum revocando, & ecclesiam jam adultam, dudumque emancipatam, in statum ecclesiæ adhuc servæ atque infantis redigendo, imponendoque Sanctis jugum servitutis

ac timoris faciendo. Docuit enim, salutem non esse extra communionem Synagogæ suæ externam, ut olim non erat extra Judaicam; alligavitque adorationem Dei ad $\omega\mu\eta\sigma$ templa, panem eucharisticum & statuas. Vid. Bellarm. de R. P. L. 3. C. 33. coll. Joh. 4: 21, 20. Ut olim Sacerdos sacrorum princeps erat, qui victimas quotidie offerret, & reliqua Aaronis hierarchia; sic illâ dudum abrogatâ similem rursus ille instituit, ad quam vocatus non est. Ut olim Lex ceremonialis erat tanquam chirographum, peccatoribus subcontrarium; Col. 2: 14. peccata nondum esse expiata, testans; ita ille quotidianum mandavit sacrificium expiatorium, quod itidem clamat, peccata nondum Christi morte in cruce esse expiata, sed eorum quotidie expiationem sic esse faciendam. Ut Mosaica lex olim dicebat, *qui fecerit ea, vivet per ea*, ita justitiam hanc legalem, imò $\alpha\nu\omicron\mu\omicron\nu\ \upsilon\pi\omicron\kappa\epsilon\lambda\omicron\upsilon\sigma\iota\nu$, in hominum potius, quam Dei, præceptis, servandis, (Conf. Matth. 15: 3.) annunciare idem non dubitavit: utque hominibus sub lege servis per omnem vitam cum mortis metu conflictandum erat, ita is quoque hunc timorem & $\delta\epsilon\iota\lambda\acute{\iota}\alpha\sigma$ (V. 2. Tim. 1: 7.) cum $\delta\epsilon\lambda\epsilon\acute{\iota}\alpha$ redintegrat, certam fidelibus consolationem (ex Spiritus S. dictamine, quod filii Dei sint, Rom. 8.) adimens, eosque de gratia Dei & fide sua semper dubitare sinens. Ut externa olim justificatio per ceremonias, ex ope.

opere, ut loquuntur, operato fiebat; ita *gratiam justificationis ex opere operato*, idem appellat. Olim Israëlitaë adeò subjecti Sacerdotibus erant, ut nec a pollutione nec a peccatis ad externam justificationem purgari, nisi ab illis, possent, Sacerdotisque esset, *mundatum* aliquem aut *immundum* pronunciare: Ita verò hic quoque fidelium conscientiam Sacerdotum suorum iudicio subjicit, ut per illud vel absolvantur vel ligentur. Olim iidem ipsi offerre non poterant, sed ire ad Sacerdotem tenebantur; nec sciebant tamen, an ille legitimus & sine macula ac labe esset, vel ritè omnia curasset, & annon illum ut impurum respueret Deus: ita hic quoque quotidianum sacrificium per Sacerdotem vult fieri, sic tamen, ut incertus interea sit homo, an Sacerdos legitimè sit ordinatus, vel id facere *intenderit*, quod ecclesia facit, adeoque Sacramentum, quod ajunt, *confecerit*, nec ne? (quod, ubi Sacerdos profanus sit, aut atheus, fieri non posset) sicque non tantùm de gratia justificationis, per Sacramentum conferendâ, dubius sit, sed & nihilominus cum conscientia dubia & anxia, Christum tanquam sub specie panis præsentem, adoret.

§.17. Olim quoque *ciborum* obtinebat discrimen; idem hic quoque instituit: Erat & *dierum*: Hic idem non solùm induxit, sed miris etiam modis multiplicavit, plusque adeò injunxit, minusque concessit Novi fœderis fi-

delibus, quàm quò vel gravati vel gavisi fuerant sub veteri. Vid. Psal. 94: 20. Certè, habuerint hi Pontificem, quem in rebus dubiis consulerent; Infallibilitatem tamen, quam de se credi hic postulat, in illo agnoscere non tenebantur. Prohibuit illos lex cibis nonnullis, aliisque per se adiaphoris: non tamen matrimonio unquam, vel cuiquam, saltem præter gradus ab ipso Deo Levit. 18. vetitos, interdixit, ut superba illa facit *Pergamus*, ita quasi in Apocal. nominata, quod *περὶ γάμων* contra nuptias novas etiam leges tulerit. Et quantumlibet severa vetus disciplina fuerit, emere tamen & vendere quibuscunque licuit; cum hic mercaturam introduxerit nemini licitam, nisi qui, servi instar, inscriptum fronti ac manui suæ habet Heri sui, Bestiæ, characterem. Apoc. 13: 16. Sic multa sunt, quibus *tempora mutare*, h. e. Veteris Novique fœderis discrimen tollere conatus est. Quò & referri posset, quod Calendarium quoque mutavit, turpius judaizans, quàm *πεσοῦρες καὶ δεκάτιται* unquam. Quomodo verò & *legem* evangelicam divinam Antichristus mutet, interpretatione scilicet & assumentis suis, imò & solvendo, quæ Christus ligavit, dicere nunc non est opus. Vid. Coccejum in *Locis illustr. de Antichristo*, ad h. l.

§. 18. Sed & quæ ad *judicium* quartæ hujus *Bestiæ* pertinent, de *judicio* Antichristi ex *περὶ ἀληθείας* rursus Scripturarum, non minùs quàm

quàm ex rei ipsius convenientiâ, facilè explicantur. Ubi non equidem damno, quæ hîc Cl. Autor p. 25. sq. ad v. 9. & 10. de litera emblematis, quò judicium hoc pictum est, commentatur. Nimir. Sedilia collocata & erecta, esse figuram judicii & Confessûs Senatorum, exemplo humano & civili: Deum videlicet in tempore mox affuturum, & afflictæ ecclesiæ opem laturum, ut e potestate hostium liberetur, & libertati ac dignitati suæ restituatur. Haud aliter ac judex in terris causam pro tribunali agnoscit, & pressos liberat ac servat, pro gratia & justitia. Judicem ipsum, Deum supremum Vindicem, porro in idea monstrari, tanquam *Senem*, exemplo *summi* quondam *in templo Hieros. Sacerdotis*, & magni in Synedrio præsidis, qui confedissee *in evedto throno aut tribunali* feratur: Quod sit, Deum maturaturum tandem, pro justo judicio, liberationem ecclesiæ, tamdiu ab hostibus pressæ. Habitum judicis pingi, pro majori Symboli luce & rei dignitate: *Vestem ejus fuisse velut nivem candidam*; ad exemplum *summi Sacerdotis*, candidâ veste amicti, in throno Synedrii in judicio sedentis. *Capillos instar lanæ puræ*, quæ *seni* in summo Sacerdote, & inde gravitatis & prudentiæ, sit effigies. *Thronum ejus instar scintillarum effulsisse*: pro situ sedis summi Sacerdotis in aperto Synedrio juxta aram, ad meridiem, in templo Hierosol. Cujus *sedes inaurata*, vicinâ in ara templi
flam-

flammante radianteque luce illustrata fuerit, ut radiare aut scintillare videretur. Esseque hanc obliquam significationem totius cultus divini, cujus pars magna *hostiæ, in ara ardentes*, cum annexis *promissionibus gratiæ & vindictæ* ab hostibus sumendæ. *Ignem præcipuè & flammam*, iræ in iudice, & severè vindicandæ injuriæ, infontibus illatæ, tesseram esse. Pro qua *vindictâ divinâ* magis illustrandâ, addatur, *& rotas throni ignem præ se tulisse ardentem*. Uti tota sedes summi Sacerdotis ex vicino igne in ara visa sit lucere, ita & ipsam *basin ejus seu rotas*, quibus moveri posset, similiter *ignem flammantem* retulisse. Quæ sit exaggeratio justæ in iudice, Deo, vindictæ, qui arderet totus, hostibus flammam minatus Extolli amplius iudicis in vindicando ardorem & severitatem *flumine ignis manantis & prodeuntis ab illo*.

§. 19. Figuram hanc præfulgidam sumtam esse *a mari aeneo juxta aram* in atrio Sacerdotum posito, haud longè a Synedrii eminentis loco. Quod *mare aut labrum aeneum* aquâ ad superficiem abundans, ob vicinitatem aræ magnæ visum sit perpetuò ardere: Ut *aquæ* istæ semper apparerent igneæ, *velut merus ignis*; quòd ex *vicina ara flammæ* sacrificiorum ardentium *radios suos mitterent in labrum illud aeneum propinquum*. Eumque *manantis aquæ fervorem & ignem, indicem esse divini* pro vindicanda ecclesiæ illatâ injuriâ *fervoris & zeli*, qui ignes hostilibus machinis immittere, ipsosque hostes igni com-

mit-

mittere possit. Ulterius iudicii divini auctoritatem & majestatem illustrari magno auditorum & spectatorum numero coram Synedrio. Nam quando summus Sacerdos, aut Synedrii Præses res magnas coram tribunali tractârit, non solum assessores semicirculo circa Præsidem à dextra & sinistra confedisse, sed & in amplissimo conelavi liberam datam fuisse facultatem peritis & prudentibus viris, comparandi, & cuncta videndi audiendique, ut *permagnus ante iudicem existeret numerus*. His accedere, quod haud longè a Synedrio, circa *aram*, Sacerdotum ingens semper extiterit cœtus; prætereaque in atrio Israelitatum & gentium vicini populi caterva grandis: qui omnes Synedrii ministri fuerint, & sententiarum executores. Ab his iudicii Synedrii, sententiarumque conficiendarum, ministris figuram in hac visione concinnè esse sumtam, pro illustrandâ Dei, iusti iudicis, potentia, pro vindicanda ecclesia. *Millia millium ministrabant ei, & myriades myriadum coram illo stabant*. Quod sit Symbolum, a templi Hierosolymitani ministerio sumtum *infinitæ Dei potentia*, videlicet, quæ pro exequendis suis decretis, pro servanda ecclesia, innumeris possit uti ministris, exercitibus velut immensis, cujus nutui totus orbis cum cœlo & terra obtemperet.

§. 20. Post hunc iudicii divini pro ecclesia liberandâ apparatus, ipsam memorari iudicis cognitionem, Iudicium ita confedisse, aut ordine fuisse

esse formatum & institutum ad ideam iudicii in Synedrio. Eamque esse sanctam promissionem, Deum omnino mox adfore, justum Judicem, ad liberandam ecclesiam &c. Processumque iudicii divini declarari amplius, more iudicii in Synedrio. Libros esse apertos. Res gestas, injurias, miseras, afflictiones ecclesie multas & magnas, velut libris & tabulis judicialibus consignatas a Deo, iudice supremo, velut ex libris publicis agnitas, & ad vindictam parandam ponderatas. Hæc, inquam, omnia emblemata visi hujus de iudicio Bestiæ sic satis rectè explicant; sed sinistram eorum applicationem probare nullus possum: quòd nimirum ad ecclesie Judaicæ ex servitute Babylonica vindicationem, & ad iudicium ac supplicium Babelis veteris Autor Cl. hæc accommodet atque applicet, cum (ut jam demonstratum est,) ex Spiritus S. mente ad Christianæ ex mystica Babylone assertionem, & ad iudicium ac supplicium de Antichristo manifestò hæc spectent & planissimè pertineant, quæ jam ante biseculum tempore Reformationis adimpleri quodammodo cœperant.

§. 21. Quòd utique ad extremum iudicium & diem παντοκρίτων hæc non respiciant, (ut vulgo quidem existimatum est hæctenus,) ultrò concedo: Cùm hîc utique speciatim de condemnanda illa Bestia, parvoque illo Cornu, non vero de condemnandis omnibus impiis hominibus, sermo sit. Et viderunt illud du-
 dum

dum quoque Viri piè docti inque Sacris litteris ac libris prophetis probè versati, qui, cum doctissimis Belgicarum Annotationum Auctoribus, hic rectè observavunt, ea quæ judicium hîc memoratum postea sequuntur, non *in*, sed *sub* cœlo esse futura. Vid. v. 11. 26. it. v. 13. 14. ut & v. 22. 27. Quod & advertit doctiss. Theologus Gallus, Mr. du Vidal, Libro, cui inscripsit *l'Eglise Romaine convaincue d'Antichristianisme*, Lettre V. p. 184. sqq. ex eadem ratione contra Bellarminum & Corn. à Lapede disputans, qui, *ex consensu omnium orthodoxorum Ecclesiæ Doctorum*, Danieli C. VII. & XII. Antichristum proximè ante judicium extremum revelandum, inque illo demum excidendum, testari, clamant, probatum dedit, judicium dictum ad Antichristianismi excidium, ante extremum judicium adhuc expectandum, pertinere. *Le jugement*, ait, *décrit dans ces lieux-la, n'est pas le jugement universel, mais le particulier, qui se doit tenir contre l'oppresser des Saints du Tres-haut, & qui aboutira à la punition & à la destruction entière de cette puissance, laquelle l'étoit montrée si redoutable. Dans la Vision, incontinent après qu'il a été parlé d'un jugement qui se tint, il est dit : je regardy jusqu'à ce que la Bête fut tuée, & que son corps fut détruit. Dans l'explication, il est dit du Roy, en le main du quel les Saints avoient été livrez : Le jugement se tiendra, on ôtera sa domination, en le détruisant, & le faisant périr.*

§. 22. Sic igitur h. l. Judex, *Antiquus*
 (עתיק *permanens*, Prov. 8: 18. Esa: 23: 18.)
dierum, *cujus anni non finiuntur*, Psal. 102: 25,
 28. Ebr. 1: 8. 12. μόνος ἀφθαρσίαν ἔχων, καὶ
 δόξαν καὶ κράτος αἰώνιον, 1. Tim. 6: 16. ideoque
cum omnibus seculis vivens & regnans, est
Filius Dei, (qui & עֲבִירֵי הַיָּמִים ὁ πατὴρ αἰῶνος μέλλον-
 los, Esa. 9: 5. audit) nec successore nec Vi-
 cario indigens, cui omne iudicium datum est.
 Joh. 5: 22. 23. Et sanè idem opus est, *Bestiam*
judicare ejusque corpus comburere; quod antè
 c. 2. per *lapidem* (qui Christus est, Vid. Matth.
 21: 42. 44.) effectum dicitur. Conf. Apoc. 1:
 14. ubi Filio Dei similiter *capilli capitis instar*
lane munde & instar nivis, ut hoc loco, tribu-
 untur. *Ejus vestimentum album & candidum in-*
star nivis, puram omnisque labis expertem
 Christi carnem s. naturam humanam; *pili*
verò capitis instar lane munde, fideles justifi-
 catos, ἀμώμους designant, quos ille sibi in Pa-
 tre (qui ipsius est *Caput*,) unitos habet: *Soli-*
um ejus ut flamma s. scintilla ignis, *cujus rote,*
ignis ardens sanctissimam & efficacissi-
mam gubernationem, severamque infi-
 delium, *punitionem ostendit.* *Fluvius*
verò ignis, *ab ejus conspectu promanans*, vim
 Spiritus S. perpetuò animantem, vivifican-
 tem, calefacientem, purificantem; quæ a
 Christo, ut capite ecclesiæ, exit, eique sup-
 peditatur, ut nunquam deficient. *Mille mil-*
lium, ei ministrantium, & myrias myriadam coram eo
 stan-

stantium, non solum Angelorum, sed & fidelium ex omnibus gentibus, multitudo innumera est, qui ipsum ut Caput & Mediatorem suum colunt. Vid. Apoc. 4: 2. sqq. c. 5: 6. 8. sqq. præsertim c. 7: 4-11. ubi Joannes ejusmodi turbam vidit tempore Reformationis. Vigente adhuc regno Antichristi, apud Agnum stabant CXLIV. millia fidelium, Apoc. 14: 1. Eisdem vidit tanquam turbam multam, h. e. innumeram stantem ante thronum & in conspectu agni, d. c. 7: 9. Nimirum, regno Antichristi ad interitum jam vergente, ejusque throno vacillante, Christi thronus regiaque majestas manifestò agnoscitur: illum unicum agnoscit Dominum, seque illi adjungit, innumera ex omnibus gentibus turba: quæ hîc quoque ita in viso Danieli exhibita. Non verò hi throni sunt illi ipsi, qui Apoc. 20: 4. (quod multis quidem, etiam doctissimis, inque his Josepho quoque Medo & Cl. Vitrin-gæ, nec non D. Peterzenio, visum est,) sed illis planè oppositi: Cum hæc thronorum collocatio everisionem regni Antichristi & cathedrarum Episcopalium, istic memoratarum, (quæ ipsæ θρόνοι antiquis, & Joanni d. l. dictæ) post se trahet. Verum ut integrum illud judicium, Apoc. 20: 10. seqq. descriptum, ita & thronum illum candidum, cujus ibidem fit mentio, & cui insidet, a cujus conspectu terra & cælum (hierarchia omnis Antichristiana) fugit, huic judicio & Judicis throno respondere, cer-

tum est : quemadmodum & illic, æque ac
 heic libri leguntur fuisse aperti : (de quo v.
 4. nihil est.) Quod mihi speciatim ad volu-
 mina V. & N. Testamenti, antè diu clausa, &
 libri instar obsignati, non lecta aut intellecta,
 Christo verò ad iudicium Antichristi venien-
 te, rursus aperta, omniumque tunc oculis
 exposita, ut legi palàm atque intelligi possent,
 spectare utique videtur. Conf. Apoc. 11 : 9.
 11. Unde (quod heic vel obiter moneo, &
 alias demonstratum dedi, Vid. Class. 2. hujus
 Biblioth. Fasc. 4.) clarissimè perspicitur, Mil-
 lennium illud coërciti Draconis, & Sanctorum
 (Martyrum propaginis,) cum Christo regnan-
 tium, Bestiamque & ejus imaginem ac characterem
 devincentium, (quod iudicium hoc antevertit,)
 Apoc. 20 : 1-8. haudquaquam ad novissima
 felicissimaque N. T. tempora, excisâ jam pror-
 sus Bestiâ Antichristianâ, sub Tuba VII. ex-
 pectanda, pertinere; sed necessariò ad ævum
 post subnatum in orbe Romano utique esse re-
 ferendum, (Conf. Apoc. 14 : 1. sqq.) adeoque
 excidium Bestiæ, Apoc. 19 : 21. cum finali Dra-
 conis perditione, Apoc. 20 : 10. in idem post
 exactum jam millennium istud tempus inci-
 dere, quod & v. 17. d. Apoc. 19. cum v. 17.
 Ezech. 39. & Apoc. 20 : 8. collatus confirmat
 certissimè.

§. 23. Quod jam porro Cl. Autor pag. 30.
 observat, quæ de extinguendo & cremando ca-
 davere Animalis quarti, v. II. memorantur, re-
 spi-

Spicere morem Synedrui, quò magnorum reorum corpora cæsa igni committebantur, cremanda, rursus etiam non displicet; nisi quòd, ad Cyri coërcitationem illa trahi, probare non possim. De iudicio Bestiæ Antichristianæ, & supplicio, de illa sumto, sumendoq; , accipienda illa omnino sunt. Et sanè, idem illud Apoc. 14: 10. 11. c. 19: 21. & c. 20: 10. 15. de Bestiæ apocalyptica, tum decicorni tum bicorni, s. Pseudopropheta, ipsoque etiam Dracone, legimus. Ubi vel ex eo, quòd non tantum *aiōvīs* secula, sed & dies ac noctes (quarum vicissitudo extra hoc seculum, in æternitate, nulla est,) crucianda in igne & sulphure Bestia illa, ejusque adoratores, perhibentur d. Apoc. 14: 10. 11. c. 20: 10. satis colligitur, non infernales propriè post mortem pœnas, sed iudicium & supplicium hujus jam etiam seculi, hîc describi. Ita enim, in descriptione perditionis populi aut status alicujus secularis, metaphora s. emblemata *incendii & combustionis* adhiberi in Scripturis suevit. Vid. Esa. 30: 33. c. 34: 9. 10. coll. cum Deut. 29: 23. & 32: 22. ubi ad perditionem Sodomæ vicinarumque civitatum, pluviam ignis ac sulphuris cœlitus factam, stagnumque ibi loci enatum, pice seu bitumine & sulphure innatante, æstuque solis accenso, ardens, quod *Asphaltitem lacum* s. *mare mortuum* appellant, alluditur, eique exitium reipublicæ tum Judaicæ veteris tum Antichristianæ assimilatur. Quemadmodum ad

verba d. Esa. 30: 33. Spiritus S. d. Apoc. 19: 20.
 & c. 20: 10. manifestò respicit, indeque phra-
 sin istam, λίμνη καιομένη, ἐν τῷ θεῷ lacus ardens
 in sulphure, repetiit, ubi LXX. verba postre-
 ma, כנחל גפרית בערה ut torrens sulphuris ar-
 dens, verbis, φάεγγε (quod λίμνην exprimit)
 ὑπὸ θεῶν καιομένη, lacus ardens sulphure, transta-
 lerunt. Conf. & Esa. 50: 11. Quanquam & il-
 lis in locis & hoc c. 7. Dan. v. 11. respici si-
 mul videatur ad abiectionem combustionem-
 que cadaverum in גי הנום ge Hinnom (quod
 ipsissimum γέεννα gehenna est,) & Vallem Hinnomi
 denotat, prope Hierosolymam quondam
 notum, Jos. 15: 8. in quo antiquis temporibus
 Molocho, h. e. Saturno, infantes vivi in hostiam
 oblati fuerant, clangentibus interea, ne in-
 fantulorum ejulatum auribus perciperent pa-
 rentes ac dolerent, tubis & tympanis, תפין
 typpim ebraicè dictis: unde vallis iste etiam
 תופת Tophet (à תוף tympanum) appellatus est:
 quem verò locum, ne tam diris horrendisque
 porro sacris pateret, Josias Rex immundum
 infamemque reddidit, 2. Reg. 23: 10. adeò ut
 dehinc omnes ex urbe Hierosolyma sordes
 & cadavera in eum projecta sint, ibique con-
 cremata: Dav. Kimchio teste. Quemadmo-
 dum & ex Tract. Talmudico Sanhedrin, Par.
 VII. discimus, quorundam etiam Hominum,
 ad mortem inhonestam damnatorum, corpo-
 ra ibi unà cum animalium cadaveribus com-
 burì olim in pœnam solita: quæ tunc tempo-
 ris extrema fuerit ignominia.

§. 24. Unde & Jer. 19:6. sqq. & C. 7:31. 32. iudicium illud divinum in Judæos, per Nebucadnezarem executioni dandum, ita describitur, quod non tota solum Hierosoly-
 ma, unâ cum omnibus, regiis etiam, ædificiis, תופת *Tophet* ejusmodi sit reddenda, nec minùs, quàm *vallis Hinnom*, dehonestanda & impu-
 randa, sed & occisorum corpora illic ad de-
 vorandum ab avibus ac bestiis catervatim sint jacitura. Conf. Apoc. 19:17. 18. Ezech. 39:17. Certè & Esa. 30:33. *lacus ille sulphure ardens*, exertè *Tophet* appellatur. Sic & eodem digitus intenditur Esa. 65:5. ubi de Judæis infidelibus, & sub eorum typo, Antichristi ætate temporis novissimi, perhibetur, *fore illos fumum in ira Dei & ignem, qui per diem totum ardeat.* (V. Rom. 13:12. Ebr. 10:25. 2. Pet. 3:18. Conf. Apoc. 14:11. C. 19:3. & Esa. 34:10.) Quod sanè non de iudicio & supplicio extremo, sed de partiali illo, in Dei & ecclesiæ hostes, esse accipiendum, illa quæ ibi subjiciuntur, satis ostendunt: ubi & v. 8. sq. illorum fit mentio, qui, ex isto exitio servati, ecclesiæ Dei, inter gentes amplificandæ, addendi sint. Præsertim verò illuc etiam respicit Esaias c. 66:15. 16. & 24. ubi ait: *Venturum esse cum igne Dominum, (videl. novissimis N. T. temporibus, de quibus sermo ibi utique est) & redditurum iram & flammam suis & ecclesiæ suæ hostibus, Jehovaham igne & gladio disceptaturum cum omni carne, multosque fore occisorum Do-*

mini, (Conf. Apoc. 20: 9. 10. c. 19: 21.) egressu-
 rosque fideles, novæ Hierosolymæ cives, &
 spectaturos cadavera deficientium a Domino, quorum
 vermis immortalis & ignis inextinguibilis sit futurus,
 nauseasque (LXX. εἰς ὄραμα) illa omni carni esse
 futura. Quibus certè ad combustionem cor-
 porum humanorum in dicto valle Hinnom s.
 Tophet, alludi, antè laudatus quoque Dav.
 Kimchi & Aben-Efra, ad hunc locum obser-
 vant: adeò ut hic illis insit sensus: Ignomi-
 niam hostium Christi & ecclesiæ non mino-
 rem tunc fore, quàm si instar sceleratissimo-
 rum quondam & abominabilissimorum apud
 Judæos hominum unà cum cadaveribus pu-
 trescentibus ac foetentibus in valle Hinnom
 insepulti & putrescentes ipsi, vermibusque
 scatentes ac foetentes, cunctis spectaculo ex-
 positi jacerent, aque vermibus perpetim cor-
 rosi inter aliorum cadaverum, jam semeso-
 rum ac putidissimorum, cumulos flammis ibi
 perpetim crepitantibus comburendi usq; tra-
 derentur: exeuntibus urbe Hierosolymâ ci-
 vibus, ut ista oculis usurpent spectacula.
 (Conf. Apoc. 14: 10.) Quemadmodum idem
 hoc novissimi quoque Bibliorum Anglica-
 norum Annotatores ad hunc locum observâ-
 runt, & ad ejus illustrationem verba Ezech.
 39: 4. sqq. adhibuerunt, ubi Gogi & Magogi me-
 morantur agmina, in montibus Israël olim
 occidenda, ibidemque diu insepulta, & avi-
 bus omnibusque animalibus, ad devorandum
 esca

esca, jactura; imo ex parte quoque imbre ignis ac sulphuris cœlitus absumenda. v. 6. coll. Gen. 38: 22. & Apoc. 20: 9.

§. 25. Quæ utique supplicium non extra hoc seculum, æternum, sed ejusmodi, inferunt, quo Deus in hoc jam seculo etiam, in conspectu multarum gentium, nomen suum celebre reddet ac gloriosum: ut v. 16. & 23. d. Ezech. 38. nec non cap. 39: 7. 27. docent; cumque suprâ dictis omnibus comparata satis ostendunt, pœnam hostium Christi & ecclesiæ novissimorum, vivi comburio, eoque quasi in valle Hinnom, assimilari, ut, cadaverum putrescentium instar & verminantium ac fœtentium, Deo ejusque populo abominationi futuri, & in extrema ignominia, contentu atque infamia constituti a verme conscientiæ exulceratæ in igne iræ, furoris, invidiæ, tædii ac desperationis perpetim & sine fine rodendi, pungendi, ustulandi atque enecandi sint: quod tamen ut *πρόκειμα* s. futuri judicii *præjudicium* aliquod (Tertulliani dico verbis) & tanquam præludium pœnæ infernalis æternæ, spectari potest.

§. 26. Neque enim negandum, d. Esa. 66: 24. per cadavera deficientium à Domino, quorum vermis immortalis, & ignis inextinguibilis erit, nauseam omni carni creatura, exeuntibus & spectantibus fidelibus, intelligi homines Antichristianos, gladio verbi occisos, inque morte spirituali manentes ac foràs ejectos, quorum mala con-

scientia & desperatio, *vermis* instar corroden-
 tis, & ira Dei atque odium veritatis, de men-
 dacio triumphantis, *ignis* instar aestuantis, per-
 petuum eos excruciat, nec ullam eis quie-
 tem unquam indulget; fidelibus, ubi eos
 foras ejectos videbunt, iuxta Dei iudicia ce-
 lebrantibus: (ut Apoc. 19: 1. & 3.) adeoque
 & vivicomburium illud Bestiæ, tam hinc Dan.
 7: 11. quam Apoc. 19: 20. connotare quoque
 statum illum doloris invidiæque plenum, in
 quo homines Antichristiani, non resipiscen-
 tes, se constitutos sentient, ex quo omni
 gloriâ & spe suâ exciderint, & fideles, quos
 odio internecino erant persecuti, viderint re-
 gno Dei pacato & glorioso perpetuo gauden-
 tes: vel miserimam illam istorum hostium, vivo-
 rum quasi mortuorum, (1. Tim. 5: 6.) conditio-
 nem, quâ postremo ubi ad incitas jam reda-
 cti, omnique potentiâ, dominatu & fortu-
 nâ, tum quâ gavisi hactenus fuerant, tum
 quam porro speraverant, privati, aque spe
 omni rursus unquam emergendi, & regnum
 s. ecclesiam Christi denuo subjugandi, imò vel
 aliquodammodo ejus pacem turbandi, prorsus
 dejecti, causam Christi invictam triumphare,
 ejusque regnum felicissime florere, oculis suis con-
 tuebantur, in extremæ statum miseriæ detrusi,
 non solum summâ ignominiâ & pudore, sed &
 igne malè urentis consciëntiæ, invidiæ ac despe-
 rationis, iræque divinæ sensu, nunquam in-
 termorituro, torquebuntur urentur & quasi
 conflabunt, (*vivi enim in stagnum illud*
ignis

ignis & sulphuris dicuntur conjiciendi, & vivi igne consumendi atque cruciandi. Apoc. 19: 20. c. 20: 9. 10.)

§. 27. Quò & pertinet, quòd Zach. 14: 12. legitur, *plaga, quâ afficientur populi, qui Bellum Hierosolymæ intulerunt, hæc erit, stantibus super pedibus suis* (adeoque vivis) *caro & oculi & lingua tabescent.* (similes Judæis rejectis, regnoque Christi exclusis, Matth. 8: 11. 12. Luc. 13: 28. c. 16: 23. coll. Matth. 13: 42. cap. 22: 13. quorum etiam perditio aliàs incendio assimilari solet. Vid. Matth. 3: 12. Esa. 34: 9. 10. Mal. 4: 1. 2. Joh. 15: 2. 6. Ebr. 6: 8. c. 10: 26. 27. c. 12: 28. 29.) *Quam in rem conferri possent, quæ, de Invidia domo, Naso habet, Metam. L. 2. fab. 15. & Cebes Thebanus, in Tabula sua, de iis satis ingeniosè finxit, qui à via sapientiæ & virtutis abducti, Stultitiam sequuti magistram, deinceps ita puniantur, ut per omnem vitam, per multivaria, subindeque nova tormentorum genera, paulatim consumti, quotidie quasi denuò neci dentur, eorum instar, qui τῆς πωροῖα s. pœna & cruciatui malæ conscientia traditi, ab ea quotidie occultis flagellis & scalpellis (quæ Poëtarum Erinnyes sunt,) cædantur & lancinentur: deque carceribus tenebrosis ac sordidissimis, in quos miseri illi tandem compacti apud sordidas horrendasque mulieres, videl. Vindictam, manu flagella tenentem, Mœrorem, caput ad genua usq; demittentem, & Dolorem, capillos vellicantem;*

tem: & apud Virum etiam deformem, macilentum ac nudum, cui nomen *Ejulatoris*, aliamque ius super mulierculam, quæ *Desperatio* appelletur, degere cogantur & perpetim enacentur. Certè vel solâ ut Horatius L. I. Epist. 2. canit,

*Invidiâ Siculi non invenere Tyranni
Majus tormentum. - - -*

Et noti sunt Satyrici versus:

*Magne Pater Divûm, scevos punire Tyrannos
Haud alia ratione velis, - - -
Virtutem videant, intabescantque relicta.*

Hac certè ratione *vivicomburium Bestia in stagno, sulphure ardente*, Apoc. 19: 20. jam dudum Viri doctissimi, inque explicandis Oraculis visisque propheticis probè versati, BRIGTMANNIUS, Anglus, FORBESIUS, Scotus, COCCEJUS, nostras, nec non Cl. VITRINGA, in *Anacris. ad Apoc. 19: 20.* aliique plures, exposuerunt. Sed in viam.

§. 28. Quæ tandem de illo veniente in nubibus cœli, tanquam filio hominis, & ad judicem adducto, cui dominatus & majestas & regnum datum sit, ut omnes populi, nationes & linguæ ipsi servirent in seculum, v. 13. 14. habentur, quorum explicatio v. 17. & 18. subjungitur: Sanctos videl. Altissimorum regnum esse accepturos, inque omnia secula possessuros; vel, ut rursus est v. 27. Regnum & dominatum & magnificentiam regnorum sub cœlo univer-

ver.

verso, datum iri populo Sanctorum Altissimorum, regnumque ejus regnum fore seculi, & omnes nationes ipsi servituras; Ad Ecclesiam utique pertinent, vilem hactenus & contemptam, sæpiusque ab hostibus suis oppressam, in mundo, nunc Christo gubernante & judicante orbem paulatim majus majusque incrementum accepturam, & ad libertatem, nomen ipsius prædicandi ad obedientiam fidei vocatorum electorumque ex omnibus populis, iis etiam, qui Bestiæ antea servierant, magis magisque profecturam; donec tandè regnum illud suum militiae Christus triumpho gloriâq; & beatitate æterna consummet. Neque adeo malè igitur hanc visi partem, *ad libertatem Ecclesie*, hactenus *afflictæ, assèrendam*, Autor quoque noster pag. 32. retulit: *Nubes etiam cœli, cum quibus ecclesia,* (hîc per similem *Filio hominis*, s. *Hominem*, anterioribus IV. Bestiis oppositum, designata,) *ad judicem ejusve tribunal venit, de celeri divina providentia explicans, quâ optimè tandem ecclesie prospiciat, & illius saluti; addensque, speciatim gloriam & majestatem Dei subindicari, in liberatione ecclesie effulsuram, ut cœlitus omnia geri, certò appareat. Malè verò, imò pessimè, facit, quòd Judæa heic Ecclesie, à Babylonico jugo tunc liberandæ, libertatique pristinae restituendæ & patriæ reddendæ & præcipue per Messiam olm in carne presentem, ad gloriam sempiternam evehendæ, effigiem luculentissimam Danieli in solatium & suum & universæ gentis, in Babylonia exulis, exhibitam esse, pag.*

34. contendat. Quod jam supra refelle-
bamus.

§. 29. Certè, neque Apostolorum ministerio,
verbum divinum per totum orbem disseminantium,
omnes jam populi, gentes & linguæ, ecclesiæ novæ
servire cœperunt, neque hæc tum jam in Mes-
sia omnibus hostibus facta est superior & domina,
morte quoque ipsâ pressâ, & supplantatâ: ut
Cl. Autor d. p. 34. putat. D. enim Paulus, ad
Ebræos scribens, paucis ante obitum suum
annis, dicere nondum potuit, Christo omnes
jam hostes & gentes esse subjectas: Nondum
videmus, inquit, omnia illi jam esse subjecta. Chri-
stum verò in fine demum, ubi regnum Deo &
Patri tradet, aboliturum esse, scribit, omnem do-
minatum & potestatem ipsi adversam; regnare
verò ipsum oportere, donec omnes inimicos suos pe-
dibus suis subjiciat, quorum postremus Mors sit.
1. Cor. 15: 24. 25. Et Esaias evangelium Chri-
sti tunc demum per totum orbem, & inter om-
nes sub cœlo nationes, disseminatum iri,
testatur, c. 11. cùm Deus *וַיִּבֶן* secundâ vice
(non jam solùm terrâ Cananæâ *Virgâ oris Do-
mini percussâ*, sed & *Improbô*, *ἀνόμω*, spiritu la-
biorum ejus occisô, v. 4. coll. 2. Thess. 2: 8.) ma-
num suam admovebit, ut reliquum populum suum
acquirat, qui reliquus fuerit ab Assyriis & ab Æ-
gypto & a Pathroso & ab Æthiopia & ab Elamo.
& à Schinare, à Chamata & a regionibus mariti-
mis: signoque gentibus sublato recipiat depulsos
Israëlitarum, & dispersa (membra) Juda congre-
get,

get, è quatuor oris terræ: v. 11. 12. Et cum exiis, qui judicia Dei novissima evaserunt, Deus ad gentes quosdam mittet, in Oceanum, Phulem & Ludum, jaculatores arcu, Tubalem & Javanem, regionesque remotissimas, qui famam ipsius non audiverunt, ejusque gloriam non viderunt, ut indicent gloriam ipsius in gentibus, & adducant ipsorum fratres ex omnibus gentibus muneri Jehovæ, equis & curribus & pilentis, mulisque ac veredaris, ad montem sanctitatis Domini - - - c. 66: 19. 20. cumq; tunc de novilunio in novilunium, de Sabbatho in Sabbathum, veniet omnis caro, ad incurvandam se coram Jehova. v. 23.

§. 30. Conferendus de cetero hîc, quod ad nubem & venientem cum illa tanquam filium hominis, v. 13. locus Ebr. 12: 1. ubi nubes multitudinis innumeræ symbolum est; Vid. Claff. 2. Biblioth. hujus fasc. 6. pag. 1026. & Cl. 1. p. 265. & Matth. 24: 30. coll. cum d. Esa. 11: 10. 12.

§. 31. Rectè interea observat quoque Vir Cl. illum, qui tanquam filius hominis, sive sub specie hominis alicujus, (non verò, ut regna ista mundi, sub specie Bestiæ) in hoc viso exhibetur, Sanctos designare, sive populum Sanctorum explicante Angelo v. 18. & 27. Licet nonnulli hîc v. 13. similem filio hominis, Christi ipsius personam, (ut Apoc. 1: 13.) Judicem verò, v. 9. Deum Patrem, referre, putent: (quod verò secus esse, jam suprâ ostendimus) Nam, כְּבָרַיִם tanquam filius hominis, eò modò hîc dicitur.

citur, quò Actor. 9: 18. *tanquam squame*, ὡσεὶ
 λεπίδες, & Psal. 72: 6. *descendet ut imber*, h. e.
 aliquid simile imbri; (Conf. Dan. 8: 8.) &
unus homo, corpus illud mysticum repræsen-
 tat, quod etiam *Christus* dicitur. 1. Cor. 12: 12.
Quantquam, observante etiam Coccejo, *Ho-*
mo cum hîc dicitur, symbolicum aut signifi-
 cativum non tam ipsa forma externa est, (ut
 nec in IV. Bestiis h. l.) quàm ipsa potius *homi-*
nis, a Deo ad suam imaginem conditi, *rectitu-*
do, seu ipsa Sanctitas, quæ in hominibus ex
 regeneratione est, per eum, secundum quem
 conditi sunt, nimirum *alterum Adamum*, *Chri-*
stum, veram Dei effigiem.

§. 32. Illud verò etiam, quòd illi *San-*
cti Altissimorum appellantur, v. 18. 22. 25. 27.
 non tam, quòd ייִלֵּךְ Deum ὑψίστον, *celsissimum*,
 & sic ייִיִלֵּךְ tres in Deo ὑποστάσεις, denotat,
 ut idem sit, ac *Sancti Dei*, censente Cl. Autore,
 p. 36. (quâ in hac prophetia Deus ὑψίστος non
 ייִלֵּךְ sed ייִיִלֵּךְ dicitur: Vid. v. 25.) sed potius
 quatenus *Sanctorum* πολιτεία, *municipatus*, est
 non in terris, sed *in cælis*, Phil. 3: 20. ἐν τοῖς
 ἑπερστέτοις, *in super-cælestibus*, in quibus cum &
 in Christo collocati sunt: Eph. 2: 6. Quomo-
 dò Esaias c. 33: 16. *Sanctos in celsis habituros*
 sub gratia novi fœderis, prædixit: (quod
 Psal. 15: 1. παρεστράζεται, *Inquilinum in*
domo Dei agere, & *in monte ejus Sancto habitare*)
 manifestam hîc inter populum Judaicum &

populum hunc *Sanctorum altissimorum* differentiam arguit. Nam & ille vocabatur *Sanctus*. Vid. Lev. 19: 2. c. 20: 7. Sed *Israëlitæ* erant קדושי תחתונים *Sancti inferiorum* locorum: sanctificabantur enim externè per ἅγιον κοσμίον, Ebr. 9: 1. seu per sanctuarium & altare, præterquam sanctimoniam externam plurimi eorum nullam habebant: Sed hic est *populus vocatorum, electorum & fidelium*, Apoc. 17: 14. qui sunt *Sancti supremorum* s. super-cœlestium.

§. 33. Ex quo rursus licet colligere, vaticinium hoc haudquaquam ad *Judæos*, eorumque sub *Babyloniorum* jugo vexationes, & ab iisdem vindicationem & exaltationem, sed ad *Christianam ecclesiam*, pertinere: ut adeò idem hujus prophetiæ terminus sit, qui & in visione *Colossi*, Dan. 2. nec non præfagii *Christi*, Matth. 24. & *Pauli*, 2. Thess. 2. & *Apocalypseos*, & is quoque similiter cum antecedentibus suis connectitur. Ex qua connexionem cum primis evidens est, traditionem regni, populo *sanctorum* factam, excisâ *Bestiâ*, non esse traditionem regni *Christo* exaltato factam. Ille enim ad dextram *Patris* collocatus regnû suum orsus statim est, & cum illo fideles omni regnant tempore: (Rom. 5: 17.) At hîc de illustri quadam regni istius manifestatione sermo est, ubi, septimâ clangente *Tubâ* gratias Deo agent
San-

Sancti, quod acceperit potentiam suam magnam,
 Regnum καὶ ἐξοχὴν sic dictum, vel jam consum-
 matum, occupaverit. Apoc. 11: 17. Regnat
 enim Christus cum suis, (d. Rom. 5: 17. Apoc.
 20: 4.) etiam cum bellum adversariis facit,
 1. Cor. 15: 24. sed manifestius, Adversario
 jam subacto, & sub pedibus Sanctorum strato,
 quia tum & controversia regni cessat, & sce-
 ptrum regni Christi potentius ac latius domi-
 natur, ut a pluribus, etiam rebellibus, Rex
 agnoscat. Apoc. 15: 2. 3. 4.

λέγει ὁ μαρτυρῶν ταῦτα. Ναὶ ἔρχομαι ταχύ. Ἀμήν.
 Ναὶ ἔρχε, Κύριε Ἰησοῦ.
 Ἡ χάρις τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰ. Χ. μετὰ πάντων ἡμῶν.
 Ἀμήν.

III.

HERMANNI DEU-
SINGII

EXEGESIS

PSALMI XCI.

I.

Hic Psalmus adplicari potest tum ad Christum ipsum tum ad Ecclesiam. Ad Christum ipsum illum adplicatum vide apud Cel: Tillium h. l. & apud Cl. Driessenium Diatrib. p. 35. f. Eundem vero ad Ecclesiam quoque referri posse & oportere nos nunc paucis demonstratum ibimus. Continet ille eo sensu *διαλογισμον* inter Spiritum S. & Ecclesiam Christianam v. 1-13. quem Deus Pater aut Filius suo tandem sermone claudit v. 14-16. In colloquio Spiritus S. cum Ecclesia introducitur I. Spiritus S. Ecclesiam erudiens v. 1. II. Ecclesia ab eo erudita v. 2. III. Spiritus Ecclesiam confirmans v. 3-8. IV. Ecclesia confirmata v. 9. pr. V. Spiritus Ecclesiam collaudans eamque suis consolans promissis v. 9. f. -13. VI. Denique Deus Pater, aut Filius, sermo-
Class. III. Fasc. V. Iii nem

dem Spiritus S. consolatorium corroborans
& pertexens. v. 14-16.

2. I. Primum prodit Spiritus S. inquit v.
1. *Qui confidet in latibulo Excelsi, in umbra Omnipotentis, vel Sufficientissimi, pernoctabit.* In-
struit ille Ecclesiam Christianam, quid ei sit a-
gendum ingruentibus illis tentationibus, quæ
toti Ecclesiæ inde ab initio Novi T. usque
ad consummationem seculi, ex consilio Dei in
prophetiis exposito, erant superventuræ, au-
ctoribus cum seductoribus tum tyrannis:
eumque monet ut illis temporibus *confideat in*
latibulo Excelsi, h. e. ut maneat in Christo,
1. Joh. 2: 6. 24. 27. 28. nec deficiat à fide per
quam ei est inserta. Siquidem Christus est
עליון סתר latibulum Excelsi, h. e. ejus qui est
ἐπάνω πάντων omnibus superior, (qualem se Deus
sub Novo T. præsertim demonstrat, subiectis
imperio suo etiam gentibus,) quippe tegens
& occultans fideles, eosque defendens ab o-
mni malo, Gen. 48: 19. ut in ipso tutò late-
ant, sicut Moses in cavitate rupis, Jehovah
eum manu suâ obtegente. Exod. 33: 22. Con-
fer Ps. 31. 21. ubi per *סתר פניך latebram faciei*
tue intelligo Christum, qui etiam Jes. 32: 2.
appellatur *סתר זרם latebra imbris*. Idem quo-
que Ecclesiæ promittit, si ea hoc faceret, fore
ut *in umbra*, sub protectione, Dei *sufficientis-*
simi, cujus gratia ei sufficiebat, 2 Cor. 12: 9.
pernoctaret, h. e. securam haberet ac perpe-
tuam *κατοικησιν habitationem*, etiam in nocte
ob.

obscurissimâ. Quod enim Cel. Coccejus, existimans heic introduci fideles, fiduciam suam ac certitudinem parrhesiæ, quam habent in divino præsidio, profitentes, versum primum cum secundo conjungit, hoc modo, *Sedens, h. e. ego, qui sedet in latibulo Altissimi, in umbra Omnipotentis divertitur, dico, Jehovæ est receptus meus...* quodque Cl. Tillius hæc verba (quæ ad Christum adplicat fiduciam suam in Patris protectione testantem) ita vertit, *Ego habitator loci secreti Altissimi, qui in umbra Sufficientissimi pernoctabo, dico - - -* referens prius ad incolatum ejus in cælo unâ cum Patre prævium, posterius ad succedaneam in terris ἐπιδημίαν, coactum quæsitumque videtur, nec satis convenit cum verbo *pernoctabit*. Nam dicendum esset. *Ego sedens pernoctabo*. Rectius, meo arbitrato, Belgæ, *Die in de schuyl plaste des Allerhoogsten geseten is, die sal vernachten in de schaduwe des Almagtigten.*

3. II. Deinde, v. 2. comparet Ecclesia fidelium, velut una persona affirmans se consilio Spiritus S. (qui eam jam instruxerat per prophetias, atque istam in Christo mansionem ac latitationem ei commendaverat) obsequuturam, his verbis, *Dicam יהוה לי Jehovæ, vel apud Jehovam, est receptus meus, & propugnaculum meum, Deus meus cui confido, q. d. Dicam, tu es Jehova Deus meus, in Filio tuo, qui est apud te.* Et quia *Jehova*, factus in veritate

qui fueras in promissione, nempe iustitia mea seu justificator meus, propterea & *receptus meus* & *arx mea*, ad quem me recepturus sum, ut tutò & absque ullo mali metu in te lateam: quia *Deus meus*, h. e. vita mea, seu vivificator meus, propterea & is *cui confido*, fore ut me ab omni opere malo eripias servesque regno tuo cœlesti. 2. Tim. 4: 18. 2. Cor. 1: 9. 10.

4. III. Ecclesiam excipit Spiritus, fidem ejus confirmans, pollicitando, Deum eam erepturum è variis, & quidem septenis, tentationibus, nec fidem ejus frustraturum, v. 3-8. Confer Prov. 24. 16.

A. Ereptio ex primâ tentatione. v. 3. *Nam ipse eripiet te à laqueo Aucupis, à pestilentia ærumnosâ.* Perinde est ac si dicat Spiritus, Rectè facis quod in Jehova Deo tuo & latebram quæras & fiduciam colloces; quandoquidem ipse te eripiet ex omnibus tentationibus: ac primum quidem à *laqueo Aucupis, à peste calamitosissima.* Per *אָוּצֵר* *Aucupem* heic intelligo Diabolum, ut Prov. 6: 5. . Homines enim comparantur alitibus, quibus ille laqueum tendit aut rete pandit d. v. 5. Prov. 1: 7. Quomodo ille fidelibus primi temporis, Hebræis, suâ insidias struebat tendiculâ. Unde & *laqueus* ei tribuitur. 2. Tim. 2: 26. Laqueus autem ille, quem Diabolus tendebat Hebræis, erat hæc Pseudapostolorum doctrina credentes ex gentibus, nedum ex Judæis, non posse

se servari nisi circumciderentur & legem
 Mosi observarent. Act. 15: 1. 5-24. Quo la-
 queo ille eo tempore multos cepit, fascinos
 ne parerent veritati. Gal. 3: 1. Conf. Pf.
 124. 7. d. Prov. 6: 5. Hof. 9: 8. Per הַחַיִּית
 intelligit Coccejus eundem Diabolum, q. d.
 הַחַיִּית בעל הַחַיִּית vel אב הַחַיִּית omnium nequitiarum
 auctorem aut patrem. Sed nihil vetat דְּבַר
 הַחַיִּית explicare per pestem valde calamitosam.
 Nam הַחַיִּית proprie calamitatem, ærumnam, infor-
 tunium, notat, figuratè nequitiam, per quam
 ærumna conciliatur: & דְּבַר הַחַיִּית pestem signifi-
 cat, q. d. stimulum quo homines gregatim abi-
 guntur. Per pestem hanc intelligo vel er-
 rores illos, quibus Judæi infideles, veluti lue
 epidemia, erant intoxicati, veluti de regno
 Dei mundano, de Messia bellatore & exter-
 no splendore illustri, de lege perenni, de
 propriâ justitiâ; vel eorundem apostasiam à
 Deo vivo, inde ortam, quæ ipsos tandem præ-
 cipites dedit in multas calamitates & ærum-
 nas, atque in eos accersivit excidium urbis &
 dispersionem populi. Quarum calamitatum
 ut ne fideles fierent participes, Jehova pe-
 stem illam ab eis averruncaturus erat.

5. II. Ereptio ex secunda tentatione v. 4.
*Ala sua obteget te, & sub alis illius receptum habe-
 bis, scutum & parma est veritas ipsius.* Per
 אֲבֵרָה alam intelligo heic potentiam Dei
 protectricem (quæ vers. 1. umbra dicebatur)
 quâ ille Christianos obtexit in excidio Hiero-

folymæ, secundum illud Zach. 12:8. Die illo proteget Jehova habitantes Hierosolymis, h. e. fideles, nec sivit ut inundatio illa aquarum multarum ad illos pertingeret. Ps. 32:6. Per **אֱלֹהֵי אֱלֹהֵי** alas intelligo veritatem Dei, scripturis Veteris & Novi Testamenti comprehensam, promissionem & complementum promissionis, prophetiam & evangelium, quæ & *ala venit*, h. e. Spiritus S., audiunt Ps. 104:3.) vel potius veritatem, h. e. promissionem partim jam impletam, partim adhuc implendam. Sic & *Soli Justitiæ* tribuuntur *alae*, h. e. radii, *in quibus est curatio*. Mal. 4:2. Radii autem Solis illius sunt veritas, seu impletio promissionis, cujus illustratione sanandæ erant gentes, quibus Sol ille nunc exoriebatur. Propterea *alæ hæ per veritatem* explicantur, cum additur, *clypeus & parma est veritas ejus*. q. d. Sub veritate, tanquam sub alis Dei, receptum habebis: Veritas suo tegmine tibi erit refrigerio, (nam **קַלָּשׁ** *clypeus* à frigore nomen habet, quia tegmine suo refrigerare potest) suâque circuitione tela hostium arcebit, Eph. 6:16. Nam **קַלָּשׁ**, à **קָרַח** *circumire vagari*, **πανοπλίαν** significare videtur. LXX. ὄπλων κυκλώσει σε ἢ ἀλήθεια αὐτῶ. Comma hoc posterius refero ad tempus illud, quo Sol justitiæ, deleta jam Hierosolymâ, gentibus exoriebatur. Quo tempore Christiani, in deserto imperii Romani oberrantes, nec civitatem habitabilem invenientes, Ps. 107:4, nullum habebant **κρησφύ-**

Φύγετον *refugium* præter *alas Jehovae*, h. e. veritatem, seu promissionem partim jam impletam, partim adhuc dum implendâ. Quæ veritas ipsis bello, quod adversus mundum & mundi principẽ capeſſebant, pro *clypeo* & *parma* erat, h. e. ipsis erat tum refrigerio & consolationi, quatenus ea promissionem de justitiâ Dei jam impletam commonſtrabat, tum certitudini & ſecuritati, quatenus promissionem de vita mundi, hæreditate gentium, regno Dei, non magis fallituram pollicebatur, quia Deus, qui promiserat, se jam fidelem ostenderat. Hebr. 10: 23.

6. C. D. Ereptio ex tertia & quarta tentatione. v. 5. *Non timebis à pavore noctis, à telo quod volat die.* Per *noctem* heic intelligo tempus afflictionum, sub persequutionibus Imperatorum Romanorum crebrescentium. Quamobrem huic nocti tribuit *ἄρα* *pavorem*, *formidinem*: per *diem* tempus pacis & tranquillitatis, quod sub imperio Constantini M. noctem illam excepit. Cui tamen diei assignat *ἄρα* *ſagittam*, & quidem *volitantem*; per quam poſſunt intelligi vel hærefes Arrii, Macedonii, Nestorii, Eutychii, Pelagii, &c. exitiales, quæ erant quasi totidem ignita Maligni illius jacula, Eph. 6: 15. vel ambitio Episcopi Romani, qui, velut alter Nimrod, venabatur homines, quos suæ subiceret ditioni, hanc fugientes excommunicationis telo feriens.

7. E. F. Ereptio ex quinta & sexta. v. 6. *A pestilentia, quæ in caligine grassatur, à veneno quod*

vastat in meridie. Per אפל caliginem, quæ diem
 insequitur, intelligo caliginem Papatus, quæ
 Pf. 23: 4. appellatur צלמות umbra mortis, &
 Pf. 139: 11. חשך הלילה tenebra noctis, & ab-
 dito fortè sensu, חשך וצלמות tenebra & umbra
 mortis, item עפורה כמו-אפל צלמות obscuri-
 tas sicut caligo umbra mortis. Job. 10: 21. 22. In
 quâ caligine רבך pestilentia, h. e. ἀνομοσία de-
 fectio à fide Christi, ex multis erroribus exor-
 ta, grassabatur inter Christianos, perinde
 atque olim inter Judæos supr. v. 3. Per צהרים
 meridiem intelligo lucem reformationis, ut Jes.
 58: 10. 59: 10. Cui cum tamen adscribit
 קטב ישור luem vastantem ob oculos habet vel
 doctrinam Socinianorum aliarumque secta-
 rum contagiosam, vel etiam periculosam il-
 lam Pontificiorum consuetudinem, per quam
 illi hodie multos pelliciunt, ut pollutionibus
 mundi, quas per cognitionem veritatis effu-
 gerant, iterum implicarentur, revertentes
 cum cane ad suum ipsorum vomitum, & cum
 lotâ sue ad volutabrum cœni. 2. Petr. 2: 20-
 22. Conf. Hof. 13: 14. ubi קטב lues in ferno, h.
 e. potestatis Antichristo obnoxiiis, attri-
 buitur.

8. G. Ereptio è tentatione septima. vl. 7.
 Cadent à latere tuo lævo mille & decies mille à
 dextrâ tuâ: ad te non pertinet. Sensus est, sub
 persecutlonibus Imperatorum Romanorum
 & sub seductione Antichristi, cum adhuc im-
 becillis, & quasi sinistrior, eris, multi qui-
 dem

dem à fide deficient per formidinem fascinumve hujus seculi : at sub bello Gogi & Magogi, h. e. sub ultimà Antichristi & sectatorum ejus rabie, cum ille, labefactatus licet per reformationem, resumptis deinde viribus, Ecclesiam reformatam, jam robore pollentem ac pœne victricem (quatenus ea suâ quasi dextrâ, h. e. vi veritatis ab erroribus Papatus repurgatæ, ipsi immedicabile vulnus infixerat) funditus delere sataget eamque rediget ad incitas, longè plures deficient per molliam animi fideique defectum. Adeò ut Dominus, cum venturus est ad vindicandum electos suos, vix fidem in terra sit reperturus. Luc. 18 : 8. *Cadere enim dicuntur qui deficient à fide, Rom. 11 : 22. 14 : 4. 1. Cor. 10 : 12. Qui sibi videtur stare, per fidem, videat ne cadat, per perfidam defectionem. Verum nec terror ille, nec iste furor, neque tot exempla cadentium, te ad similem casum, h. e. ad defectionem, impellent. Sic multæ sũnt tentationes justis, sed ex omnibus illis eripit eum Jehova. Ps. 34 : 20. Denique v. 8. adjungit Spiritus hanc consolationem, Tantum oculis tuis intueberis, & retributionem impiorum videbis, h. e. videbis quidem apostasiam multorum, sed videbis quoque retributionem improborum, Pontificiorum videlicet, per quorum seductionem & tyrannidem tanta hominum caterva in errorem & exitium erat abducta.*

9. IV. Versu 9. iterum loquitur Ecclesia, inquiens, *Nam tu, ô Jehova, es receptus meus*, In verbis hisce est *אֶת־יְהוָה*, q. d. Ita est ut dixisti, hoc certo mihi persuadeo; nam. . . Nisi dicamus particulam *וְ* heic esse assertivam, ac positam pro *certe*, ut I. Sam. 14: 39. 44. c. 25: 34. q. d. Certè verum est quod professus sum v. 2. *apud Jehovah esse receptum meum*, meque in eo solo ponere *fiduciam* meam. Quam fiduciæ ejus assertionem Spiritus illico sui assertionem promissi quasi repensat.

10. V. Eodem versu Spiritus, intellectâ asseveratione illâ Ecclesiæ, novum sermonem orditur, quo & ipse ante dicta adseverat laudans primum Ecclesiæ fidem, ac deinde ei iterato promittens tum malorum omnium averruncationem, cum antè tum post reformationem, tum omnium subjectionem hostium.

A. Ecclesiam laudat, dicens; *Altissimum posuisti mansionem tuam*, q. d. Agnosco fidem tuam haud simulatam & inconcussam in Deo fiduciam, ac propterea tibi, Jehovah nomine, promitto, non tantum averruncationem malorum, sed etiam domationem hostium.

11. B. Promittit ei averruncationem malorum omnium v. 10-12. Ubi est ipsa promissio & addita ratio.

I. Promissio. *Non incidet in te malum, & plaga non appropinquabit ad tentorium tuum.* Prius colon refero ad tempus quod reformati-

tionem antecessit, cum Ecclesia nullum habebat, quo se reciperet, *tentorium*, sed solum Deum constituebat habitaculum suum: posterius colon ad tempus reformationem consequutum, cum jam ei *tentorium* conventus seorsim à pontificiis indulgeretur. Priori tempore malum ab Imperatoribus Romano-gentilibus & ab Antichristo profectum, ei non erat nociturum: posteriori tempore plaga, h. e. lepra Pontificiorum, ad *tentorium* ipsorum non erat appropinquatura; quippe leprosis illis jam extra castra regni Dei remotis. Vid Lev. 13:46.

12. b. Addita ratio. *Nam angelis suis precipiet de te, ut te custodiant in omnibus viis tuis. In palmis gestabunt te, ne offendat ad lapidem pes tuus.* Horum prius refero similiter ad tempus reformatione antèrius. Tunc enim *angeli Ecclesie, qui faciem Patris cœlestis semper videbant*, Matth. 18:10. (h. e. nuntii ac testes veritatis, qui prophetias assidue scrutabantur. Promissio quippe est *facies Patris Joh. 5:17.* sicut veritas *facies Jesu Christi 2. Cor. 4:6.* Quales ante adventum Antichristi erant patres orthodoxi, regnum Dei consummatius quàm quod venerat sub Constantino M. præstolantes: ac postea viri illi docti & pii, qui spiritum veritatis & spiritum erroris internoscentes, futuram reformationem præfagiebant, præsertim inter Waldenses Wiclefitas & Hussitas) suis commonitionibus ut fideles stabilirent in fide,
ne,

ne, cum pluribus, à rectâ viâ, h. e. à verâ religione, deflecterent, sed ut in omnibus religionis partibus ac sanæ doctrinæ capitibus, sibi ab errore caverent. Confer Ps. 66: 8. 9. *Facite, ut audiat vox celebrationis ejus, qui posuit animam nostram in vita, neque permisit nutare pedem nostrum* Posterius refero ad tempus Reformationis tum cœptæ tum continuatæ promotæque. Nam, cum ea inchoaretur, Reformatores sustinuerunt fideles quoseunque ambabus quasi palmis, h. e. confirmatione veritatis & confutatione errorum, eosque manibus quasi tenuerunt, adducturi eos ad Ecclesiam reformatam. Quomodo *Angeli Lotum ejusque filias, cunctantes, non solum alloquio suo urfisse, sed etiam prehensa manu eduxisse ex Sodoma, leguntur, ne perimerentur in pœna istius civitatis: Gen. 19: 15. 16. & Deus ipse Israelem ex Ægypto ad se adduxisse perhibetur alis quasi aquilarum, Exod. 19: 9. atque etiam prehensa manu eduxisse ex Ægypto Jer. 31: 32.* Idque eò ut ne pes eorum offenderet ad lapidem illum offensionis præsumptionem propriæ justitiæ, in quem, non Judæi tantum increduli, Vid. Jes. 8: 14. Rom. 9: 32. 33. sed Pontificii quoque tam miserabiliter impegerunt. Prov. 30: 11. 12. coll. c. 7: 16. 17. Quorum Reformatorum vestigiis deinceps institerunt pii doctores ac veritatis nuntii, offendicula quævis è viâ pro virili removentes, ut
ne

ne in ea impingerent reformati. Vide Matt.
13:41. Jes. 34:8.

13. Diabolus quidem, cum Jesum tenta-
ret, hunc locum, tanquam specialiter de ipso
scriptum, allegat Matt. 4: 6. non abnuente il-
lud Salvatore: attamen, cum ipse illic Eccle-
siam suam repræsentet, & tentationes omnes
huic sub Novo T. obventuras, suis illis ten-
tationibus adumbret, ut eam hoc suo prælu-
dio doceat, quo ea umbone jacula Diaboli
debeat à se avertere in posterum; in aperto
est locum hunc, totumque adeo psalmum,
æquè, imo magis, ad Ecclesiam, in quâ tenta-
tiones illæ Jesu adimpletæ sunt, quam ad ip-
sum, qui Ecclesiæ suæ tentationes suis figura-
re voluit, spectare. Magis, dico, quoniam
pleræque prophetiæ, quæ in Evangeliiis alle-
gantur, magis in re figurata quam in figurâ,
magis in spiritu, qui literæ subest, quam in
litera historiæ suum sortitæ sunt implemen-
tum; prout attendenti passim liquebit. Vide
sis quæ ad d. Matthæi locum scripsi in Alle-
goria mea Evangelica, de Tentatione Jesu
§. 23.

14. Promittit Ecclesiæ omnium subjecti-
onem hostium v. 13. *Super immani leone & a-
spide incedes, calcabis juvenem leonem & draco-
nem.* Heic quoque prius colon ad tempus
reformatione prius, posterius ad posterius
refer. q. d. sicut Imperatores Romanos, qui,
ferocis instar leonis, Ecclesiam discerpebant,

&

& Pontifices Romanos, qui, aspidum instar homines pungebant & plurimos veneno suo mortifero (de quo Deut. 32:32. ראש פתנים אכזר *venenum aspidum crudele*) in mortem secundam dabant præcipites, Apoc. 6:8. pedibus tuis subiecisti, atque aspidem hunc per reformationem sic debilitasti ut puero volupe ut eum ludificari, Es. 11:8. ita etiam post reformationem conculcabis, non tantum *juvenem leonem*, quales v. 92. fuere Philippus secundus rex Hispaniarum & nuper Galliarum Rex Ludovicus 14. sed etiam Draconem illum terribilem, h. e. Antichristum, iterum vehementius quam antè sævientem, ejusque impulsorem, Diabolum Apoc. 20: 8. quem nunc sub pedibus tuis conteres. Rom. 16: 20.

15. VI. Versu 14. & sqq. sequitur sermo Patris, aut Filii, quo ille sermonem Spiritus S. corroborat, & fidem Ecclesiæ magis confirmat. Ubi est promissio Dei, ejusque assertio.

A. Promissio. *Nam me dilexit, & faciam ipsum evadere: sublimabo ipsum, quia novit nomen meum.* q. d. Verum est quod dixit Spiritus meus, nam hæc omnia certò fient. Promittit Ecclesiæ beneficium duplex, addita utriusque ratione. Beneficium prius est, *faciam ut evadat*, vel liberabo eum ex omni metu & ab omni malo. Quæ ratio? *quia me dilexit.* Ego autem diligo eos qui me diligunt, Prov. 8:17. & possessionem meam non derelinquam. Ps. 94: 14. Posterius beneficium est *sublimabo, exaltabo, in edito collocabo, cum, dabo*

dabo ei regnum paratum ei à jactō mundi fundamento, Matt. 25: 24. faciamque ut calcet excelsa terræ. Deut. 33: 29. Et quare? quia cognoscit nomen meum, scit me veracem esse & omnipotentem, qui, quod promisi, velim & possim efficere, Rom. 4: 21. atque sideo mihi confidit. Nam qui noverunt nomen Jehovæ fiduciam habent in eo. Pl. 9: 11.

16. Assertio promissionis v. 15: 16. *Invocat me & respondebo ipsi. Ero cum eo in angustia, liberabo ipsum & glorificabo ipsum, Longitudine dierum satiabo ipsam, & faciam ipsum cernere salutem meam.* Promittit generale promissum exauditionis precum. *Invocat me & respondebo ipsi*, h. e. omnia mea promissa sistam ad precationem Ecclesiæ, ex fide profectam, cui omnia sunt possibile, Marc. 9: 23. Idque secundum disertam meam promissionem Jes. 65: 24. *Et fiet, ultimo tempore videlicet, antequam vocent ego respondebo, ipsis adhuc loquentibus ego exaudiam*, h. e. omnes promissiones meas ad preces eorum repræsentabo. Deinde repetit promissionem, jam ante factam, in specie, ut & certitudinem ejus indicet & suam in præstando promptitudinem ac festinationem. Vide Gen. 41: 32. Promissio ea gemina est, complectens liberationem ab omni angustia, & glorificationem, h. e. exhibitionem regni Dei. Cui subnectit τὰ ἐπόμενα, longitudinem dierum pacis & triumpho, conf. Psal. 23: 6. 93: 5. Prov. 3: 2. 16. ad satietatem usque, & salutem Jehovæ, tunc videndam, ad-

adductis ad Ecclesiam Judæis & gentibus. Vi-
de Ps. 21: 5. 50: 23. Jes. 25: 9.



IV.

P. v. S. V. D. M.

Cogitationes

De

LIBANO,

ut Emblemate

Ecclesiæ Novi Testamenti.

LIBANUS vel LIBANON, sive, ut qui-
dam maluerunt, LEBANUS aut LE-
BANON Hebr. לבנון ab HIERO-
NYMO aliisque describitur ut *Mons*
Syrie, *Palaestinae conterminus* & *septen-*
trionalis, late & per *Tyras* se extendens *regiones*,
Antilibano Monti quondam muro conjunctus, *præal-*
tus, *abundans Cedris aliisque arboribus*, nec non *herbis*
salutaribus & *floribus odoratis*, *spinis non deficien-*
tibus; *agriculturae quoque* & *pascuis*, maxime in
vallibus ei adjacentibus idoneus, *vineas* & *habita-*
tiones suppeditans, *marmoribus*, *rivulis hinc inde*
scaturientibus, *suffultus*; *In cujus sylva Salomo do-*

mum

nam exstrui curavit, dum turris præalta confinia
terre Canaan tuebatur.

Hic LIBANUS inter Montes, quorum Sa-
cer meminit Codex, infimum haud occupans
locum repræsentat

I. Terram Judæam & in illa Metropolim Hie-
rosolymorumque Templum, Cedrinis LIBANI li-
gnis exstructum. 2. Chron. II. 8. 9. 16. Vide
Es. X. 34. Zach. XI. 1. &c.

II. In Papatu, Tyri Antitypo, mysticum nomi-
nat LIBANUM Ezechiel Cap. XXVII. 5.

III. Forsan Vis LIBANI, de quâ Hab. II. 17.
secundum Prophetiæ filium indigitabit *Vim*
Muhammedicam, Turcae enim possident LIBA-
NUM & Rumores septentrionales *Anti-Chri-*
stum territuros expressè prædixit Daniel. Cap.
XI. 44. Verum

IV. Quæ res jam agetur, Ecclesia N. T. sub
Emblemate LIBANI commodissimè apparet,
ut patet ex locis Es. XXXV. 2. LX. 13. Pl.
CIV. 16. &c.

Nec rationes hujus denominationis defice-
re constabit, si præter *Nomen*, *Situm* & *Descri-*
ptionem LIBANI enucleemus.

A. Nomen est LIBANUS, quod unanimi
consensu derivatur ab Hebr. לבן *albus*, *candi-*
dus. Vel

i. quia ejus cacumen continuâ dici-
tur obiectum NIVE (Quomodo & *Alpes*
à nivium albedine dictas, quidam autumant,
quare SABELLICUS *Alpem* vocat NIVO-

SAM & VIRGILIUS Ecl. X. Pf. 47. NIVES appellat *Alpinas*) Ita enim habet TACITUS Hist. Lib. V.

Judæa præcipuum montium Libanum erigit, mirum dictu, tantos inter ardores opacum fidumque NIVIBUS. Huc quidam referunt Jer. XVIII. 14. quæ NIX inprimis albo suo lucet colore. Conf. Thren. IV. 7. Dan. VII. 9. Apoc. I. 14. unde HORATIUS Carm. Lib. I. Od. 9.

*Vides ut altâ stet NIVE CANDIDUM
Soracte - -*

NIX hæc tatis & arboribus utilissima, teste PLINIO Hist. Nat. Lib. XVII. Cap. 2. In sacris Emblema est.

α. Verbi copiosi & efficacis ejus præconii. Es. LV. 10. 11. Pf. CXLVII. 15. 16. Huc tendit Promissio Divina Es. LIX. 22. Spiritum & Verbum in seculum à suis non recessurum. Ecce tectam perpetuâ Verbi Nive Ecclesiam!

β. NIX, quâ fruges agri operiuntur, Tectaque brumali sub NIVE terra latet, denotare potest Haereses & Persecutiones, quibus Ecclesia fit thesaurus in agro absconditus. Matth. XIII. 44. quæ tamen NIVIS instar Luce Verbi & gratiæ divinæ ut Solis dissolvuntur. Et ita explicat NIVEM CL. HULSIUS in Prov. Salom. Cap. XXXI. 22. Oportet enim Haereses esse &c. 1. Cor. XI. 19. Dum Draco sanguine sanctorum ruber Persecutionum ebullit rivos Apoc. XII. 15. Donec in Regno glorioso, oriente post Vesperam Luce Zach. XIV.

7. & *Stella matutina*, Christo Apoc. XXII. 16. qui Mal. IV. 2. audit *Sol Justitiæ*. NIX hæc *Heresium & Persecutionum* diffluet, quando nemo amplius lædet in monte Sancto Es. Cap. XI. vers. 9. nec כרם Zach. XIV. 11. vel *καλαναδεμια* erit Apoc. XXII. 3.

γ. Aquâ NIVALI quàm maximè *sordes* abluuntur, quò respicitur Job. IX. 30.

Et ita commodè NIX LIBANUM obtegens suoque liquore paulatim abluens *Justificationem & Sanctificationem*, sive *Ablutionem Ecclesiae per nomen Domini Jesu & Spiritum Dei nostri* significare potest. 1. Cor. VI. 11. ut ita *fideles dealbentur præ NIVE*. Ps. LI. 9. Conf. Es. I. 18. sive fiant (ut OVIDIUS *Metam. Lib. VIII. Fab. IV. de Castoris & Pollucis equis* habet) NIVE *candidiores*: Unde & *Vestes albe* proponuntur Apoc. III. 18. quæ sunt *δικαιωμα* Sanctorum Apoc. XIX. 8.

δ. Denique haud *αλογον* fortè erit, per NIVEM LIBANI intelligere statum *Ecclesiae in Caelis gloriosum*, dum hic in primitiis est כבודה intrinsecus Ps. XLV. 14. & post *δοξα* superinduetur 2. Cor. IV. 17. V. 2. 4. Quâ ratione & *Angeli*, gloriæ cœlestis participes stiterunt in *albis & NIVEIS* vestimentis. Act. I. 10. Matth. XXVIII. 3. Et *Beati* secundum *Interpretes* quosdam, Apoc. VII. 14. *Johanni* occurrunt *albis* amicti stolis. Simile quid tradit VIRGILIUS *Æneid. Lib. VI. vs. 665.* de animabus in Elysi degentibus campo:

*Omibus his niveâ CINGUNTUR tempora
vittâ.*

Saltem *Vestes CHRISTI* in monte glorificati fulgebant & erant candidæ veluti *Nix*. Marc. IX. 2. quod præludium fuisse tam *CHRISTI* Capitis post resurrectionem, quam ejus membrorum, quæ sunt illius *Vestes* Pf. XLV. 9. Gen. XLIX. 11. glorificandorum, quis explodat? *Fidelium enim corpora corpori CHRISTI glorificato erunt similia.* Phil. III. 21.

2. Vel illustris hic Mons gerit nomen *LIBANI* ab *Albedine THURIS*, לבונה Cant. IV. 14. לבان. Matth. II. 11. in *LIBANO* nascentis. Licet enim *Eruditorum* multum cum *KIPPINGIO* Antiquit. Roman. Lib. I. Cap. XI. §. 5. secuti *PLINIUM* H. N. L. XII. C. XIV. *Sabaam Arabiae* Provinciam solam *THURIS* statuant Patriam, unde *VIRGILIUS* *Æneid.* I. 420. *THUS* nominat *Sabaam*; Vide & *Es.* LX. 6. *Jer.* VI. 20. *HIERONYMUS* tamen in *Zach.* XI. 1. *LIBANUM* describens inter alia, hæc addit verba: *THURIS* etiam optimi magnam copiam gignebat. Ita canit *AUSONIUS* in *Technopægnio* *Monosyllaborum.* p. 115.

Florum spirat odor LIBANI ceu Montis bonor THUS.

THUS hoc sacrum in suffitu *Mosè* mandato *Exod.* XXX. 34. locum habebat, ut & in sacrifici.

crificio Minchæ. Lev. II. 1. 15. unde etiam in Sacrificiis *Ethnicorum* fuit adhibitum, uti OVI-
DII *Metam.* XIII. Fab. IV. legitur :

THURE dato flammis vinoque in *THURA* pro-
fuso,
Caesarumque boum fibris de more crematis.

Et ita *THUS*, cujus odorem *Ecclesiasticus* spar-
git *LIBANUS*, designat

α. *Preces*, vel in genere, *Coelum* versus
cum suffimento tendentes. Conf. Pf. CXL I.
2. Apoc. V. 8. &c. vel in specie *THUS* ab aliis
seorsim consideratum Aromatibus Symbolum
potest esse *Spei*, quæ *Precum* est fundamen-
tum & sursum scandens veluti *Anchora* in
interiorem partem *Veli* ingreditur. Heb. VI.
18. 19. Conf. Cl. VAN TIL & D'OUTREIN
de *Tabernaculo Mosis* illum p. 138. hunc pag.
392.

β. *THUS* adumbrare potest *Passiones Eccle-
siae* durissimis & dirissimis in *Persecutionibus*, ut
Spectatores exclament: *Quae est illa ascendens ex
deserto, ut columnæ fumi, suffumigata Myrrha &
THURE prae omni pulvere Apothecarii* Cant. III.
6. *Quare & Imperium Romano-Gentile Christianos
sacrificans* Cant. IV. 6. appellatur *Collis THU-
RIS*. Sed fortè nimis prolixa fuit hæc no-
minis *LIBANI* ad *Ecclesiam* Applicatio.

B. Spectemus ergo *Situm LIBANI*, & ite-
rum elegans erit *Mons* hic *Ecclesiae* *Pictura*.
Nam

1. LIBANUS Mons Syriae in confiniis terrae Canaan conjunxit Palaestinam & Syriam, Judæos & Gentes, perque Tyrias se extendit Regiones, unde Cedri concedente Tyrionum Rege Hiramō cædebantur I Reg. V. 6. quâ ratione apud Cl. VAN TIL Phosphori Prophetici in Habac. II. 17. p. 462. Tyrionum Mons nuncupatur.

Ecclesia non minus intergerino sublato pariete compingit Judæos & Gentes: In illâ enim non differt Judæus a Graeco, servus a libero, Vir ab uxore, nam omnes sunt unus in Christo Jesu Gal. III, 28. Ubi non est Graecus aut Judæus, Circumcisio aut Praeputium, Barbarus, Scythæ, Servus, Liber, sed omnia & in omnibus Christus. Col. III, 11. Hic enim τὸ ἀποπέγει Judæos & Gentiles fecit unum, in unum novum hominem Eph. II, 14. 15. Imò in Ecclesia spirituali Zione generantur & evadunt filii Dei Philistaei TYRII & Æthiopes Ps. LXXXVII, 4. Quemadmodum vetus Hierosolyma tempore Nehemiae TYRIOS quoque habuit Incolas Neh. XIII, 16. Et Divites populi i. e. Doctores cum Munere filiae TYRI mysticæ faciem supplicantes orabunt Ps. XLV, 13.

2. Huic LIBANO interjacente Valle Mons adversus ANTILIBANUS obtenditur quondam muro conjunctus, ut refert PLINIUS H. N. Lib. V. Cap. XX.

Qui duplex Mons apprimè designat, vel
 α. Ecclesiam V. & N. T. vel
 β. Ecclesiam in terris militantem & triumphan

phantem in caelis : Conf. novam Hierosoly-
mam de caelo descendentem Apoc. XXI. 2.
& loca Eph. I. 10. Hebr. XII, 22, 23. Si ve-
rò quis

γ. Per LIBANUM & ANTILIBANUM,
Ephraim & Juda Es. XI, 13. *binas Protestanti-
um Ecclesias* intelligere velit, quas mystico mu-
ro Apoc. XXI, 12. ut *Spiritus Dei* magis magis-
que conjungat, mecum *φιλαδελφοι* precantur,
per me liceat. Sed plenius

C. *Descriptio* hujus LIBANI cum *Ecclesia* erit
conveniens.

1. Est & quidem καὶ ἐμφασιν nuncupatur
MONS 2. Chron. II, 2. 8. quo nomine & *Ecclesia*
gaudet Es. XXV, 6. 7. &c. quæ aliàs sub Emble-
mate *Montis Zion* venit Ps. II, 6. Dumque *Mon-
tium* colore pinguntur Regna Es. LII, 7 Cant.
II, 8. &c. *Ecclesia* non minus est REGNUM
Dan. II, 44. Matth. IX, 35. COELORUM Mat.
XIII. DEI Marc. IV, 11. & CHRISTI Col. I,
13. Eph. V, 5. &c.

2. LIBANUS celebris fuit ob *altitudinem*, in
ipso enim Solis æstu nivem custodiebat, ut su-
pra visum. Ita Jer. XXII, 6. Domus Regis Ju-
dæ comparatur *שאר* Capiti & fastigio LI-
BANI.

Similiter *Ecclesiae* Mons dicitur firmatus in
Cacumine Montium & elatus super omnes col-
les. Es. II, 2. Mich. IV, 1. Urbs in Monte.
Matth. V, 14. maximè ultimo tempore erit
Ecclesia civitas in summo Monte Ezech. XL, 2.

Apoc. XXI, 10. incedens super summitates terræ Ec. LVIII. 14. Hinc

3. *Difficilis* fuit *ascensu* & multis in locis *plane inaccessus*.

Ecclesia certè tam in *terris* quam *caelis* *aditus*

α. Est *difficilis*, non modo *Divitibus*. Matth. XIX, 23. 24. sed omnibus se ipsos abnegaturis est *porta angusta*. Matth. VII, 13. 14.

β. Maxime *Impiis* & *Inimicis DEI* est *inaccessa*, nemo enim *LIBANUM* ascendet *Ecclesiasticum*, sive ut ex Ps. XV, 2. &c. loquar: *in Monte Sanctitatis habitabit, nisi perfecte ambulans* &c.

4. *LIBANUS* latè se extendit, utpote continens in circuitu 700. miliaria Anglica, secundum calculum *BREREWODI Scrutin. Relig. Cap. XV l. p. 192.* vel 100. circiter Milliaria Gallica computante *Cel. ANDR. CLAU-BERGIO Cosmographia Sacra Tom. I. p. 343.*

Ecclesia ulteriores diffundit radices. Vide Ec. LIV, 13. 4. Est enim *καθολικη* per totum dispersa mundum & ex omnibus tribubus, linguis, populis & Gentibus empta Apoc. V, 9. Graphicè *Regnum hoc Messiae* describitur Zach. IX, 10. Ps. LXXII, 8. &c. Omnes quoque Reges tandem suam huic *Hierosolymae* inferent gloriam & honorem Apoc. XXI, 24.

5. Ferax imprimis fuit *CEDRIS*, unde sapissimè de *CEDRIS LIBANI* fit mentio. 2. Reg. XIV, 9. Ps. XXIIX, 5. Jud. IX, 15. &c.
quare

quare etiam BAPTISTA MANTUANUS LIBANUM vocat CEDRIFERUM, & CEDRUS SEDULIO est LIBANA, PONTIANO LIBANITIS.

CEDRI proceræ & elatæ Es. 11, 13. quibus ob altitudinem *Amoritæ* assimilantur Amos 11, 6. depingere queunt Reges & Principes, qui in alto Maestatis vertice collocati, ut Dii terreni ad cœlum assurgunt & Ecclesie sunt Tutores. Es. XLIX, 23. Hinc *Nebucadnezar* ille *Babyloniorum Monarcha* apparet sub Imagine arboris, cujus altitudo ad cœlum creverat. Dan. VI. & *Judeorum proceres* exertè vocantur CEDRI Zach. XI, 1.

6. Verum LIBANUS aliis arboribus non minus fuit inclytus, quo pacto *Syracides Simonem Onia F. Sacerdotem summum* comparat arbori in LIBANO æstivo tempore virenti Cap. L, 9. namque ostentabat abietem, pinum, buxum &c. Es. LX, 13. quibus *Præcones Evangelii* & *Doctores N. T.* Conf. Es. XLI, 19. describuntur.

Interim notandum sub nomine CEDRORUM Ps. XCII, 19. Conf. Cl. D'OUTREIN *Sinnebeelden* p. 201. aliarumque arborum fideles quoque in genere venire Ps. I, 3. Jer. XVII, Es. LXI, 3. &c.

7. HERBIS *salutaribus* & FLORIBUS odoratis quasi imprægnatus fuit LIBANUS, quo respicitur Nah. I, 4. ubi de פרה *flore & germine LIBANI* legitur. Ita & de *Odore LIBANI* sermo fit Cant. IV, 11. Hos. XIV, 6. quare

MUSÆUS LIBANUM nuncupat ODORATUM.

Et certè *Ecclesia* cum humilibus HERBIS *humilis* est, tenditque ad *sanitatem* & conversionem aliorum; Conf. phrasin Apoc. XXII, 2. Ita Apoc. IX, 4. per HERBAM contradistinctè ad ARBOREM i. e. *Patrem*, & tenerum GRAMEN i. e. *Puerum* intelliguntur *Electi* mediocris status, die mittelmaßigen Standes sind / ut commentatur PISCATOR, sive *Juvenes* in Christo. 1. Joh. II, 13. 14. FLORES quoque imagines *fidelium* esse patet ex Cant. II, 12. non modo, quia hoc cum omnibus hominibus ex muliere natis Job. XIV, 1. 2. commune habent, quod floreat sicut flores agri Ps. CIII, 15. sed & quia odorem pietatis spargunt fragrantissimum. Confer de Apostolis 2. Cor. II, 15. & de fidelibus. Cant. VII, 13.

8. Non tamen SPINIS caruit hic Mons, unde *Fabulam Allegoricam* de SPINETO LIBANI promit Joas Israël Rex. 2. Reg. XIV, 9. Et his SPINIS hoc loco denotari possunt.

α. *Pseudo-Propheta* & *falsi Doctores*, qui in *Ecclesia* floribus pietatis quibusdam in aprico redolent, Zelum Domus Dei prætexunt, fructus tamen bonos doctrinæ vera destituti & aculeatis erroribus onusti non ferunt. Mat. VII, 15. &c.

β. *Hypocrite*, qui habent *μορφωσαν εὐσεβείας* ostendendo foliis externæ confessionis *flosculos* amoris Dei & proximi, interea verò ob-

obtegunt Sanctos imò quandoque suffocant.
Conf. phrasin Matth. X III, 7.

9. LIBANUS etiam *agriculturae* quibusdam in locis non fuit ineptus, quò fortè alluditur Ps. LXXII, 16. *Et contremiscet fructus ejus sicut LIBANON*, ut verba hæc non ad *arbores LIBANI* vento motas & ita trementes spectent, sed ad *fruges* è LIBANO progerminantes.

Saltem *Ecclesia* est *γερων* DEI I. Cor. III, 9. Pater est *γεωργος* Joh. XV, 1. *Seminator CHRISTUS* cum suis *συνεργοις* I. Cor. III, 9. *Serentibus* ad omnes aquas Es. XXXII, 20. *Spargit verbum Dei* Marc. IV, 14. Luc. VIII, II. ut *semen ἐμψυτον* Jac. I, 21. & incorruptibile I. Pet. I, 23. ad ferendum *fructus* pro modulo. Matth. XIII, 8. &c.

10. *Valles LIBANI* foecunda stravère *pascua*, in quibus pleraque in *Templo Hierosolymitano* offerenda *Sacrificia pinguescunt* fuisse traduntur, quò fortè respicitur Es. XL, 16.

Ecclesia habet *PASCUA* Ps. XXIII, 2. ad quæ *CHRISTUS* bonus Joh. X, 14. *Unicus* Ez. XXXVII, 24. *Magnus Pastor* Heb. XIII, 20. Imo *ἀρχιποιμν*. I. Pet. V, 4. *Oves PASCUI* sui Ps. C, 3. ducit, *pascendo eas in Basan* & *Gilead* Mich. VII, 14. *in montibus Israël, apud rivos* &c. Ezech XXXIV, 14. *pinguedinibus* & *medullatis* Es. XXV, 6. LV, 2. *donec egrediuntur ut vituli saginati* Mal. IV, 2. qui & fiunt *sacrificia*, offerendo corpora sua in *sacrificia viva*.

Rom.

Rom. XII, 1. spiritualia I. Pet. II, 5. à Deo non spreta Ps. LI, 19. &c.

11. VINEAS hîc non defuisse colligi potest ex Hof. XIV, 7. ubi de VINO LIBANI mentio fit.

Ecclesiae VITIS est CHRISTUS Joh. XV, 1. promens VINUM *Justitiæ & praeconii Verbi* ope *Spiritus* recreantis &c. Es. LV, 1. Zach. XIV, 17. &c. Hujus *Divinae* VITIS palmites sunt *fideles* Joh. XV, 4. qui secus ipsi sunt VITES Cant. II, 13.

12. Rivulis scaturiebat LIBANUS, quod Cant. IV. applicatur, ubi *Sponsa* (ut puto) *Sponsum* nominat, *Fontem hortorum*, *puteum aquarum vivarum* & *fluenta à LIBANO*, uti & ipse *Jordanes* ex Libano originem sumpsit, secundum *Annotatores Belgicos*, unde JULIUS ORATOR in *Excerptis Cosmographicis* pag. 8. *Jordanes fluvius nascitur sub LIBANO Monte* &c.

Urbs DEI Ecclesia nihil minus suos habet RIVOS Ps. XLVI, 5. *fontem Vitae CHRISTUM* Ps. XXXVI, 10. *fluvium aquae Vitae* instar *Crystalli* &c. Apoc. XXII, 1. SPIRITUM nempe SANCTUM ejusque *χαρισματα*. Vide loca Ezech. XLVII, Joël. III. Zach. XIV. Quin imò ex cujusvis fidelis *κοιλια* fluunt RIVI aquæ vivæ. Joh. VII, 38. 39.

13. Ethinc non potuit non *gratus & amœnus* esse hic mons; quomodo & *Habitacula* JEHOVÆ ZEBATH sunt AMABILIA Ps. LXXXIV, 1. & *Sponsa à Sponso* ob *pulchritudinem*

nem mirum quantum extollitur Cant. IV, 1. &c. VI, 1. &c. VII, 1. &c. Hinc vocatur *Hierosoly-
ma* N. T. à DEO חפציבה *Voluntas* & *Voluptas*
mea in ea Ef. LXII, 4. utpote Veri Judæorum
Regis Uxor Matth. XXVII, 37. Apoc. XXI, 9.
quo pacto Hiskiaë Regis conjux CHEPHZI-
BAH appellabatur. 2. Reg. XXI, 1.

14. Quare & HABITACULA præbuit
tum *animalibus*, quæ in Speluncis ejus & late-
bris degebant, uti quidam locum antea cita-
tum Ef. XL, 16. huc trahunt, qui de multitu-
dine חיות *animalium* LIBANI memorat; tum
hominibus & quidem hodierno die *Maronitis*.
HUBNERI Geographia. p. 826.

Ecclesia est עיר מושב *Urbs habitationis*
Pf. CVII. 7, 36. ὀικισμένη Heb. II, 5. habita-
ta à חיות *ANIMALIBUS* vivis. Pf. LXVIII,
11: Spiritu DEI *viventibus* & *ambulantibus* Gal.
V, 25. Conf. ANIMALIA EZECHIELIS
Cap. I, 5. &c.

15. Stabilitus fuit LIBANUS *saxis marmo-
reis albis* & durissimis, unde Jer. XVIII. 14.
Quidam ita vertunt: *An quis meos campos re-
linquet præ rupe* & *nive* LIBANI? ut LIBA-
NO צור adscribatur: Alii aliter. Saltem
Lapides ad Templum Dei Salomonis jussu è LI-
BANI *Petris* excisos fuisse, testatur HIERO-
NYMUS: Confer 1. Reg. V, 15-18.

Ecclesia nititur CHRISTO *Petræ Salutis*.
Deut. XXXII, 15. Matth. XVI, 18. *Lapidi*
an-

angulari Ps. CXVIII, 22. Eph. II, 20. ut unico fundamento. I. Cor. III, 11. qui & coloris marmorei, albus Cant. V, 9. *óστος, άνασος, άμυαντος* Heb. VII, 26. &c.

Alio verò respectu sunt omnes fideles LAPIDES vivi ad templum & domum DEI spirituales se edificantes I. Pet. II, 5. &c.

16. In LIBANI Sylva Salomo DOMUM extrui curavit. I. Reg. VII, 2. coll. I. Reg. IX, 19.

CHRISTUS *Cœlestis Salomo*, *ידידה* *Dilectus Domini* 2. Sam. XII, 25. Matth. III, 17. & *princeps Pacis* Es. IX, 6. in Ecclesia habet suam DOMUM, quam ut æterna *Sapientia* edificavit. Prov. IX, 1. Ecclesia enim ipsa est DOMUS DEI vivi I. Tim. III, 15. DOMUS magna, in quâ ut externa & visibili non modo iunt vasa aurea, qualia olim in domo Salomonis Libanítica I. Reg. X, 21. sed & argentea imò lignea & testacea 2. Tim. II, 20.

17. Turris vel Arx fuit in LIBANO aut à Latere LIBANI instar propugnaculi Damascum versus, quâ alluditur. Cant. VII, 4. & nos ducimur vel ad DEUM Ps. XVIII, 3. &c. ac CHRISTUM. Prov. XVIII, 10. vel ad PRINCIPES & Defensores Ecclesie, eam propugnantes &c.

Et hæc B. L. mihi de LIBANO cogitanti exciderunt calamo, si non placeant, conatus mei non displiceant, nec diversa predicata uni

83 (879) 86

uni subjecto aliquando applicari, aliâ *exeris*
ita monente, mireris! Interim

JVSI fLorebVnt, Ut CeDrI In Monte
Libano.



V.

Epistolæ duæ Viri DOCTISSIMI

ad

clarissimum

JOANNEM D'OUTREI-
NIUM,

De PERSONA MELCHIZE-
DECI,

Una cum brevibus stricturis re-
sponsoriis.

A.

Gratias Tibi magnas pro novo &
insigni Tuæ diligentiae simul &
Doctrinae documento, in Episto-
lam ad Hebræos, quod heri acce-
pi, ago. Perlustravi statim, quan-
tum

tum angustia temporis tulit. Imprimis hæc ad ea, quæ de *Melchizedeco* disputas, tantoque intentius, ut ferme fit, ea legi, quia in contraria semper fui sententia. Postquam Tua evolvi, licet plura in hanc rem meditari Te videam, vel sic tamen ex iis, quæ jam tradidisti, satis intellexi, de hac materia semper disputatum iri, quia utrimque oboriuntur difficultates, utrimque speciosa adferuntur argumenta. Id autem nobis omnibus est proprium, ut quod nostræ sententiæ, in quam (a) *primum*, quacunque ratione incidimus, favet, valde urgeamus & extollamus, quod adversatur, elevemus & extenuemus, atque ita controversiæ maneat perennes.

Mea hæc fuit ratio, quod nullam perspiciam causam, quare *Moses*, si per *Melchizedecum* alium intellexisset quam *Hominem*, nullo id indicio declarasset, ut (b) alibi cæteroque

(a) Fateor id sæpius nobis accidere, neque aliquid hujusmodi, uti homo sum, a me alienum puto: Verum in hoc argumento sive materia, prima mea sententia, quam a præceptoribus hauseram, fuit pro *Melchizedeco* mero *Homine*. Sed in contrariam transire coactus fui, argumentorum pondere pressus & tantum non vi ratiocinativa coactus.

(b) Ad hoc argumentum respondi in Dissertatione Vernacula de *Melchizedeco*: nimirum, non semper *Mosen* aliosve *Historicos sacros* aliquo certo indicio id notare si quando *filius Dei* vel *Angelus* sub humana for-

quin facit, quando revera Deus, Messias aut angelus Abrahamo aut aliis apparuisse legitur. Hoc autem certum, si quis solum legat Mosen, eum ne minimâ quidem hæsitatione de alio non cogitaturum, quam de *homine*; quum res tota memoretur in nexu veræ Historiæ, in qua Abrahamo, ab hostibus cæsis revertenti, occurrunt duo Reges, sibi invicem nexu
 Class. III. Fasc. V. LII pro-

forma Veteribus apparuerit: Quare adhuc disputatur & sub iudice lis est, an Viri illi tres, quos hospitio excepit Abraham Gen. XVIII: 2, tres fuerint homines, an tres angeli creati, an Jehova cum duobus angelis, an vero tres S.S. Triadis hypostases? Quæ discrepantia sententiarum non esset, si Moses discrete notasset quinam illi fuerint, quos prandio excepit Patriarcha. Simile esto iudicium de *Viro*, cum quo luctatus fuit *Jacobus*, Gen. XXXII. Nec non qui occurrit *Josua* cum stricto gladio. Jos. V: Fateor quidem ex circumstantiis Textus Historici aliquid *plus* posse elici in his locis, quam in Historia Melchizedeci. Verum etiam si illæ circumstantiæ non fuissent a Mose & Josua notatæ, non minus tamen *verum* foret, ipsum *Filium Dei* apparuisse in forma humana Abrahamo, Jacobo & Josuæ. Præsertim si in illas historias talem *commentatorem* haberemus, qualis nobis *Paulus* est in Historiam Melchizedeci. Quemadmodum etiam *parentes Simsonis* non ante deprehendebant *Angelum* sibi apparuisse, quam *Vir* ille qui sacrificium fecerat in flamma altaris, cælum versus ascendisset. Jud. XIII: 16. 20.

Interim facile largior, ex solâ Historiâ Mosaicâ nihil quidem de *Melchizedeco plus* quam *homine* concludi posse, nisi Auctor Epistolæ ad Hebræos, certissimus Mosis interpres, & Vir *Ἰερόπνευγος*, id monuisset, nobisque facem præluxisset.

proximo ibi juncti, Rex Sodomæ & Rex Salemi : Quorum ille homines suos repetierit, ex præda nihil desiderans; Hic panem & vinum adtulit Abrahami sociis pugnae & itineris labore defatigatis, atque ipsi Abrahamo, ut sacerdos Dei benedixerit. Tota hæc est Historia, cujus circumstantiæ omnes hominem, sacerdotem & Regem istius Regionis, Typum quidem & figuram Christi, at non ipsum Christum, designare videntur.

Quocirca Auctor Epistolæ ad Hebræos quæ dicit de Melchizedeco, (c) *si possint*, etiam de *homine*, sed qui (d) *Typus* & figura esset Christi præcipua, interpretanda censui; idque fieri *posse* mihi persuasi. Video sane Apostolum omnia ex Historia Mosis arripere, ad comparationem cum Christo faciendam, primo *nomen* ipsius, vere proprium; Dein *nomen urbis*, id idem vere proprium ut nomen urbis, ideoque in Græca etiam lingua retentum. Tum quod *fuerit*, vel *occurrat nobis* in Historia, ἀπταίως &c. hoc est, (e) *cujus* nec Pa-

(c) *Si possint.* Atqui hoc est quod quæritur. Ego certe fidenter assevero nullam extare in toto terrarum Orbe Grammaticam vel Rhetoricam, secundum quam prædicata Apostoli applicari possint *Melchizedeco*, mero homini.

(d) Neque illud ex Historia Mosaica elici potest. Non magis enim inde liquet, quod *Rex Salemi*, quam quod *Rex Sodomæ* alterius cujusdam Personæ *typum* gesserit.

(e) Atqui neque *Regis Sodomæ* (uti nec multorum aliorum,

Pater nec Mater, nec Familia, nec Natales, nec Mors nobis tradatur aut a nobis cognoscatur, ut sit, nostræ scientiæ respectu, quasi *cælo delapsus*, & in eo ipso similis quoque Christo, qui qua Christus, nec *patrem* in his terris, nec *Matrem*, quam se non novisse, vel cum qua nihil sibi esse commercii dicit ipse, nec Fratres habuit, & cujus originem ac finem, qua Dei æterni, nescimus, immo & qua hominis historie quidem scimus, at naturaliter non intelligimus. Creightonium valde miror & reliquos, qui absurdum putant, Melchizedecum fuisse simul Verum hominem, & tamen dici *ἀπάτωρ* &c. quia verus homo patrem necessario habuisse deberat. Hoc enim ipsum non ignorarunt neque alii, certe non Seneca, qui (f.) *Anci patrem nullum* fuisse dicit, nec Virgilius, qui plebejos homines *Nullis Majoribus ait ortos*. Phrasis hæc est usitata ad denotandum talem, cujus historia in aliquo & certo negotio ignoratur.

LII 2

tur.

orum, qui recensentur in Historia sacra) *Pater, nec Mater, nec Familia, nec Natales nec Mors* nobis traditur. An ergo ille etiam dici posset *ἀπάτωρ*, &c.

(f) Exempla hæc & locutiones parum mihi facere videntur ad hanc rem. Nam quando tale quid de aliquo dicitur, plane istud facit ad *ignobilitatem* ipsius arguendam. Verum quis non videt, Apostolum talia prædicare de *Melchizedeco*, ut ipsum *extollat* & *dignitatem* ejus supra alios homines asserat?

etur. Quin dixerim pene, magis hanc descriptionem in *Melchizedecum*, sed dicto jam sensu, convenire, quam in *Christum*, qui ubique in Evangelio *Patrem* suum memorat, & qui κατ' ἐξοχὴν *Filius* dicitur, respectu Divinae naturæ & Personæ, & *Filius hominis* respectu humanæ naturæ. Quin ipse mihi satagere videris in declarando pag: 183. 184. quomodo *Christus* directe dicatur ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ.

Cæterum vocem (g) ἀφωμοιωμένον videris mihi nimium urgere in tuas partes. Largior Tibi lubens voculam ἀπὸ in compositis augere sæpe significationem simplicis, sed non semper in ultimum usque gradum & ita ut in hac voce ex simili evadat *idem*. Notet sane majorem similitudinem præ aliis Typis cum *Christo*; non possum, tamen mihi persuadere illum ἀφωμοιωμένον esse ideo ipsum *Christum*. Nosti satis quid & quantum discriminis statuerit primitiva Ecclesia inter τὸ ὁμοίσιον & ὁμοίσιον, sed & vox ὁμοίον cum derivatis propria

(g) Non tam urgeo vocem ἀφωμοιωμένον in meas partes, quam quod coner demonstrare, ex illa voce non posse formari argumentum Achilleum adversus nostram sententiam, cui respondendo pares non sumus. Puto enim sic satis me demonstrasse in commentario meo *filium Dei*, humana specie apparentem, fuisse *typum* & *representamen* sive *praeludium* (sit venia verbo) sui ipsius, postmodum in carne apparituri atque inter homines versaturi, & denique post mortem & resurrectionem in cælis in æternum obituri pium intercessoris pro electis suis coram Deo.

pria est figuris, typis, parabolis, ut ex parabolis apud Mattheum & Lucam abunde constat. Quin ipsa pictura nullum est dubium, quin, si recte sit elaborata, ἀφωμοιωμένη τῷ ἀνδρὶ, quem repræsentat, possit dici.

Quapropter mihi quidem in hac voce hæ-
rere designatio potius Melchizedeci, veri
Hominis, sed qui factus est per omnia isthic
prædicata præcipuus Christi Typus, quam
ipsius Christi, a quo abhorre putem ipsam lo-
cutionem.

Aliud est in Apocalypsi ὁμοιος εἰς ἀνδρῶνα,
quæ locutio est scriptoris non diserte rem de-
finientis, aliud ἀφωμοιωμένη τῷ εἰς ἀνδρῶ-
να. Quæ hominem factum similem h. e. Ty-
pum illius designat.

Manet autem sacerdos in perpetuum, non qua
mortalis homo, sed qua sacerdos, quia typus erat
æterni sacerdotis, qui sacerdotium ejus (a)
excepit; sacerdotio secundum ordinem Mel-
chizedeci ita durante in perpetuum.

Eadem hac distinctione expedienda mihi
videtur omnium maxima difficultas, quæ mi-
hi in Epistola ad Hebræos occurrit vs. 8. quem

LII 3

sic

(a) Atqui J. C. non proxime excepit sacerdotium Mel-
chizedeci. E contrario, sacerdotium Melchizedeci,
proxime excepit sacerdotium Aharonicum, quod et-
iam typus fuit sacerdotii J. C. & sacerdotium Aharo-
nicum proxime excepit sacerdotium Christi. An
ergo etiam Aharonis sacerdotium dici potest perpe-
tuum?

sic interpretor. Et in hoc quidem (Levitico-
sacerdotio) h. e. **HIC** quidem decimas accipi-
unt homines qui moriuntur, at **ILLIC** (seu in il-
lo sacerdotio) is, de quo dicitur quod vivat. At
ubi id μαρτυρῶμενον? Non in Historia Moïsis.
An ergo in Psalmo 110? At nihil illic in
hanc partem dicitur, nisi ad Christum: Tu es
Sacerdos in perpetuum secundum ordinem Melchize-
deci. Si ergo ex hoc solo loco exponenda
sunt dubia illa verba, sensus eorum erit,
quod Melchizedecus qua sacerdos, dicatur vi-
vere, (a) **IN CHRISTO**, qui sacerdos erat
simul secundum illius ordinem & simul sacerdos
עליו in æternum, quum morientium illorum
hominum sacerdotium esset, æque ac ipsi,
certo desitutum.

Sed quid? si possit (b) quasi media via in-
ter utramque, vestram & nostram sententiam
iniri? Ut Moïses tantum rem gestam descri-
bens, Melchizedecum nobis exhibuerit ut ve-
rum hominem, sicuti fuit: Auctor vero Epistolæ
nos doceat in Melchizedeco, vero quidem ho-
mine,

(a) Atqui J. C. antitypus etiam fuit sacerdotii Aharoni-
ci, an ergo etiam sacerdos est in seculum secundum Or-
dinem Aharonis?

(b) Media Via. Atqui omnes illæ anquisitiones (sit
venia verbo) quibus tentant Viri eruditi, an non hæc
vel illâ viâ res possit expediri, evidentissimum mihi
signum sunt, Viros eruditos, qui vulgarem tuentur
sententiam, Sibi non satisfacere in responsionibus ad
objectiones, quæ a nostræ sententiæ patronis for-
mari possint.

mine, ipsum tamen *Christum* quasi *insedisse* & *egisse*, plane sicuti in prophetis dicitur *Spiritus Dei* agere & eos movere. Sic certe omnia facile conciliari possent, quæ nunc difficultatem pariunt, dum *Melchizedecus* considerari a nobis queat ut *Homo*; qui in factis suis ac descriptione *Mosaica* sit (c) *Typus Christi*, & simul ut *homo*, in quo egerit tunc *Christus*, eaque de causa tribuantur *illi*, quæ forsan homine mero majora videantur, quod, Tu expendas velim. Cæterum *Major*, *κρείττων* Abrahamo fuit *Melchizedecus*, primum respectu *ætatis*, quam quo minus illi *grandiorem* Abrahamo statuamus, licet diserte id non tradatur, nihil tamen est, quod nos vetat: dein respectu *Dignitatis*, quia *sacerdos Dei* & *Rex*. Ut major ergo *Homo* benedixerit Abrahamo, quoniam *absque controversia* (inter homines) ita se res habet, ut *minori benedicatur a majore*. Ita enim §. 7. explicandum putem. Non ergo hic designatur res, quæ inter *Deum* & *Hominem* intercesserit. Nam id foret falsum, idque ex ipsa *Melchizedeci Historia* liqueret clarissimum in modum, siquidem in ea, *Melchizedecus* eodem quasi habitu, certe loco & nexu proximo, immo eodem verbo *ברוך*,
LII 4
bene-

(c) Atqui non minus *illustres Typi J. Christi* fuerunt *Adam*, *Henoch*, *Noach*, *Moses*, *Aaron*, *Josua*, *David* & *Salomon*. Anne ergo de iis etiam talia prædicari potuissent, quam quæ *Apostolus* prædicat de *Melchizedeco*?

benedicit primum *Abrahamo* (a) dein *Deo*, quo utique (b) *minor* fuit; quicumque tandem ipse fuit, *sacerdos* quippe *Dei*, neutiquam *Deo par*, nedum *Major*. At inter *homines* utrimque *benedictio* desideratur & fit a *Majore*, a *patre*, *propheta*, *sacerdote*, *Sene grandævo*, quibus illi, qui *benedictionem* accipiunt, sunt suo quisque ordine *minores*: ut adeo etiam ex hoc versu aliquid argumenti pro *Melchizedeco* homine elicere mihi posse videar. Sed persuadeas Tibi magnopere velim, me hæc non scripsisse contradicendi studio, aut Tui refutandi causa, quod etiam majorem requireret curam & operam: sed unice, ut rationes Tibi exponerem meæ sententiæ, eamque ostenderem non esse adeo rancidam.

(a) *Filius Dei*, (qui & ipse *Deus* est *benedictus* in omnia secula) potuit *benedicere Deo Patri*, vel *Deo Triuni*, ad cujus essentiam ipsemet pertinebat.

(b) *Minor fuit*. Esto; qua *sacerdos Dei Altissimi*. *Sacerdos* enim erat *Minister* live *servus Dei*, sic etiam J. C. fatetur *Patrem se majorem esse*. Joh. XIV: 28. Quamvis alio loco dicat, *se se & patrem unum esse*, Joh. X: 30.

B.

Idem Vir Doctissimus

ad me a. d. XVI. Kal. Sextil: MDCCXIII.

Post lectas meas dissertationes, tam
Latinam, quam Belgicam.

De Melchizedeco dissentire me nosti & (a)
certissime mihi persuadeo semper fore
qui dissentiant. Nam clarissime loquitur (b)
Moses ut de *vero homine*; certe nihil prorsus tra-
dit, quod non cadit in merum hominem, sed &
qui æque, ac multi alii, typus fuerit Christi.
(c) Quæ contra ex Mose disputantur a senten-
tiæ Tuæ patronis, frivola plane mihi viden-
tur,

LII 5

tur,

(a) *Certissime mihi persuadeo semper fore, qui dissentiant.*
Illud idem & Ego mihi persuadeo. Nam nulla in hoc
argumento firma & certissima potest dari demonstra-
tio. Alioqui enim Viri docti, per omnia fere secula, in
diversas non abivissent partes. Sed illud tantum quæ-
ritur, a quibus partibus minimæ sint difficultates.
Quod ego mihi de illa sententia persuadeo quam
nunc amplexus sum.

(b) *Moses Nihil de eo tradit, quod in merum hominem non
cadat.* Quod ego p. 21. testatus sum utraque ma-
nu me tibi largiri. Nisi enim Paulus apostolus,
θεόπνευστος Mosis interpres, nobis alia de Melchize-
deco cogitandi ansam præbuisset.

(c) *Quæ contra ex Mose disputantur, a meae senten-
tiæ patronis, sane non omnia frivola sunt; ut certe
non ea, quæ disputo, inde a pag. 21-31-33.*

tur, nec abs te ipso probari credo. Nam exempli gratia, quale est (d) illud quæso, quod Melchizedecus dicitur ad Abrahamum venisse sine satellitibus atque ideo non fuisse verus Rex? licet Rex Sodomæ ibidem eodem modo occurrat Abrahamo & antiquissimi reges satellitibus caruerint. Ubi satellites Laji Regis Thebarum quando ille in via occisus fuit ab Oedipode? Immo apud Græcos non regni sed Tyrannidis erant proprii satellites. Unde & Cypselus Corinthi, ubi summam habebat auctoritatem, dicitur habuisse ἀδοϋ-Φόρητον τυραννίδα, h. e. supremam potestatem sine satellitibus, quos alii Tyranni cæteroque habebant; ille autem non habebat, quia favore & amore populi nitebatur. (e) Qua-
les

(d) Illud, quod Melchizedecus dicitur ad Abrahamum venisse & sine satellitibus, fateor admodum imbecille esse argumentum, quod ipse satis indicavi. pag. 80. 81. Neque ego illo usus fuissim, nisi id apud alios reperissem, quorum argumenta omnia enarrare satagi. Tu vero illud satis solide & docte refutasti. Præterquam quod potuerit secum habuisse satellites, licet non memorentur. Et si illo solo argumento patroni meæ sententiæ pugnant, herbam Tibi porrigerem.

(e) Quales fuerint primi reges, qualia etiam oppidula, quae singula suos habebant regulos, gratulor mihi a Cl: Perizonio demonstratum esse. Et hinc certe patet, Salomensium regulum tanto Majorem non fuisse Abrahamo, ut nulla inter ipsos intercedat comparatio. Vide hoc argumentum a me propositum pag. 11, §. V. & vindicatum p. 67. §. V-

les fuerint primi reges, qualia etiam oppidula, quæ singula suos habebant regulos, abunde probavit Cl. Perizonius in prima Disputatione de Rep. Romana, quam defendit Bachierus. (f) Magnitudo autem Melchizedeci non tam in regno, quamvis & in eo, consistit, quam in eo quod κατ' ἐξοχήν sacerdos ille fuerit Dei vivi; quod rex fuit (g) pius & venerabilis senex; quod illustris fuit Christi, qua sacerdotis, typus. Sed hoc, ais, assumi a nobis, quod in controversia est. At vero non aliter id facimus, quam Tu ipse, qui assumis esse Filium Dei ipsum. Nempe utrimque disputamus omnia congruere in Melchizedecum, tanquam in typum Christi, vel tanquam in Christum ipsum. Non pos-

(f) Magnitudo autem Melchizedeci non tam in regno, quamvis & in eo, consistit, quam in eo, quod fuerit κατ' ἐξοχήν sacerdos Dei vivi) Resp. 1. Abraham non minor princeps fuit in familia sua numerosa admodum, quem Regulus aliquis civitatis, si qua extitit, Salemi. 2. Et Melchizedecus, si homo fuit, non fuit sacerdos præ Abrahamo, præ Jobo, præ Aarone. Qui revera sacerdos Dei κατ' ἐξοχήν dici potuit, & insignis fuit Jesu Christi, qua sacerdotis, typus.

(g) Fuerit etiam pius & venerabilis senex. Certe & Abraham senex fuit venerabilis, qui jam 75. Annos natus erat cum ex Ure Chaldæorum egrederetur, & non ita multo tempore post illum Melchizedeci occursum annos attigerat nonaginta & novem. Gen. 17: 1. Et pietatem quod attinet, nemo mortalium tum temporis cum eo comparari potuit.

possumus ergo quin ponamus hoc aut illud, & sufficit ostendisse, si ponatur Typus fuisse, omnia de eo dicta, recte coherere & de typo potuisse dici. Sed & dices, venerabilem fuisse senem non posse a me probari. Potuisse quidem senem esse, sed a posse ad esse non procedere consequentiam. Verum id quidem est, sed (b) in rebus antiquissimis explicandis, quarum paucissimæ nobis relictæ sunt circumstantiæ, & in quibus ideo, si diversis in locis earum mentio occurrat, explicandis & conciliandis magna sæpe oritur difficultas, sufficit semper ponere casum, in quem omnia possint concurrere, & ostendere quæ rerum narratarum potuerit fuisse idonea causa & ratio. Sed præter animi consilium immitto me in disputationem, cujus nullus foret finis. Hoc tantum, pace tua, addiderim, (i) si ita disputetur contra typos veteris Testamenti, ut abs te factum contra Mel-

(b) *In rebus antiquissimis explicandis, fateor aliquando sufficere ut ponatur casus, in quem omnia possint concurrere.*) &c. Sed tamen etiam illæ conjecturæ admodum incertæ sunt. Potuerunt enim circumstantiæ fuisse, nobis ignotæ, quas si haberemus cognitæ, plane aliud de rebus istis formaremus iudicium.

(i) *si ita disputetur contra typos. V. T. - tunc vero nullus remanebit typus &c.*) Atqui hoc est, Vir Doctissime, quod nego & pernego. Nullus enim in universa S. scriptura est Typus, de quo talia prædicentur, quæ de persona Melchizedeci Apostolus; quæ in merum hominem cadere non possunt.

Melchizedecum, tunc vero nullus remanebit typus, quin eodem modo conquisitis omnibus argumentis, subverti possit. (k) Da mihi quemcunque Typum, etiam in N. T. admissum, Ego, seposita illa admissione, hoc modo disputabo pluribus forsitan & certioribus in speciem argumentis, quam abs te contra Melchizedecum sunt allata. (l) Sunt utique typi *umbrae* tantum rerum, non *expressae* imagines, ut a vobis ipsis passim dicitur.

(k) *Da mihi quemcunque typum*) Quia & ego retorqueo: Da mihi quemcunque typum, & ostendam liquido in illo plane aliter rem se habere atque in Melchizedeco. Et si typum vis, sume, si placet illum *Aaronis*. Quem ego in hoc ipso libello non indiligenter excussi. Vel ipsius etiam *Goëlis*.

(l) *Sunt utique typi umbrae tantum rerum, non expressae imagines, uti non tam a nobis passim, sed ab ipso Apostolo dicitur. Hec. X: I. Sed debet tamen revera aliquid esse in typo, quod aliquam habeat convenientiam cum antitypo, ut illius umbra possit esse; quale quid non est quærendum in iis quæ de typo illo reticentur. Uti jam monuit Amicus meus. In præf. p. 15. Et ego ipse in opusculo meo p. 47. 48.*

JOH. LAUR. MOS-
HEIM,

Coll. Philos. in illustri Holsatorum
Academia adfessoris

VINDICIAE ANTI-
QUAE CHRISTIANORUM
DISCIPLINAE

adversus celeberrimi viri JOHANNIS
TOLANDI, *Hiberni*
NAZARENUM

Kilonii A. clō lcccXX. 4to plag.
XXVI.

Libri, quem Cl. *Tolandus* in maxima
Europæ insula populari ejusdem re-
gionis lingua conscriptum NAZA-
RENI titulo edidit, cujusque idem
notæ sit ac fursuris, non modo ali-
quoties in hac Biblioth. Cl I. p. 934. & II. p.
354. sq. mentionem factam, meminimus:
Sed & *Job. Laur. Moshemii* contra eundem *vin-*
dicias brevi lucem visuras, spem factam esse.
Clasf. II. p. 960. Prodiit ille nuperrime liber
eru-

eruditorum lingua exaratus eaque adeo terfa nitidaque , ut cum ipsa rerum gravitate & pondere strictorum in adversarium argu- torum posset de principatu contendere. No- tus est orbi erudito in ipso adhuc ætatis flore *Moshemius* , fama scriptis æternitatem laturis ad- quisita , quam uberi non minus eruditionis multivariæ adparatu pectus locupletaverit , ac judicandi vi veraque falsis sejungendi fa- cultate polleat , ut nostro quali quali encomio superior factus , tantum opus sit, quo, iisdem virtutibus nec hunc librum oppido perele- gantem destitui , ex curatiori recensione rerum illic multo studio pertractaturum , le- ctori ostendamus.

Ex quo præfatio p. 1. sq. causas enarrasset cur veritati religionique Christianæ adversu *Tolandi* motos contra eandem arietes & cuni- culos se vindicem dare placuerit, ejusdemq; *Hiberni* hominis vitam, eruditionem, fataque nec non & itinera ac librorum ab ipso editorum ex- hibuisset enarrationem satis accuratam & ad *Tolandi* mores pernoscendos utilem p. 3 - 11. tradit eadem, p. 12 - 14. adversarios *Tolandi*, quos in *Anglia* ob foetum hunc nactus est, qui partim integrum, partim quædam capita ejus- dem libri convellere adlaborarunt *J. Paterfoni- um*, *G. Barymple*, *Th. Brett* & præcipue *Thom. Mangey*, cujus & mentio facta in hac Biblioth. Cl. II. p. 356 quaque ratione ejusdem argu- mentationum & motarum in eosdem muros
fa-

fabricarum indoles ab ipsius conclusionibus
 dispar sit, p. 13. quodque in disceptatione
 cum adversario latebras semper quærenti ge-
 nus disputationis elegerit, ut Iliada post Ho-
 merum scripsisse argui minime possit, p. 16-18.
 uti & *praeparatio* præfationem excipiens hujus
 Nazareni *summam* & generales in eundem
 censuras exhibet p. 2-8. Opus *Trifariam* parti-
 tum est. Ex quo enim Tolandus in eo nervos
 suos intendit, ut de præstantia reperti nuper
 cujusdam *Evangelii Barnabae*, ejusque apud
Turcos existimatione, multa sermocinaretur,
 unde *Turcos Christianis* accensendos esse (si
 dis placet) cupit; huic sententiæ convellen-
 dæ sectio I. destinata est, cujus Cap. I. de hu-
 jus *Evangelii Barnabae*, *fatis* agit, docetque
 Codicem Mscr. hujus libri ex Biblioth. viri cu-
 jusdam illustris Amstelodami pervenisse in ma-
 nus V. D. J. Frid. Crameri, qui illum splendissi-
 mæ Bibliothecæ Seren. Principis EUGENII
 intulit, & in dedicatione multa ad libri illius
 commendationem protulit, quæ p. 11. integre
 exhibentur, & quam parum sinceri fursuris
 sint, ostenditur. Dein ejus Mscr. *formam* ex-
 hibet & paginas p. 12. & rationem *scripturæ* p.
 13. sq. unde concludunt quidam *tribus* ab-
 hinc seculis scriptum esse pag 14. iis ar-
 gumentis quæ *recentiorem* esse non infrin-
 gunt. Cum vero liber lingua conscriptus sit
Italica, num ea & exaratus sit ab autore, num
 in *Italicam* ex *Arabica* conversus, p. 12. sqq.
 disce.

disceptatur, rationesque posterioris sententiae incertas esse, nec quod Codici quaedam *Arabicae* voces adscriptae inde aut ejus descriptorem *Turcam* fuisse, aut librum magno apud eam gentem pretio esse, concludi posse, monetur. Evangelium illud *Historiam Christi* exhibet locupletiores ac in nostris quatuor reperitur Evangeliiis; Sed inde pro antiquitate ejus pugnari falso praecipue cum liber hic *Turcarum* sententiae & *Corani* nugis mire adtemperatus sit, ut exemplis p. 15. sq. docetur. Denique quaedam specimina ex hoc libro lepidaeque fabulae ipsis *Italicae* linguae verbis, quae *latinis* reddita sunt, exhibentur p. 17-22. quem Celeb. *J. A. Fabricium* integrum cum notis editurum spem facit. Hoc vero spurium *Barnabae* Evangelium cum antiquissimum esse contendit Tolandus, vetustissimasque *Christianorum* complectere doctrinas, in eo est d. Mosheimius ut antiquo tempore ne quidem genuinum *Barnabae* extitisse Evangelium Cap. II. demonstret, tantum abest ut hoc sit. Neque enim *Gelasii* & alterius cujusdam *Graeculi*, qui remotissimi a primis seculis Christianismi, fide hanc stare posse loco certo sententiam p. 26. sq. Cujus contraria ratio a silentio omnium priscaevi scriptorum deducitur p. 27. apud quos nulla hujusmodi Evangelii mentio. *Gelasii* autem testimonium parum sinceri comatis esse ex corruptione fontium & admixtione errorum in decretis ejus observatur p.

29. sq. Tum, cum varii fuerint circa *Evangelia* errores, potuisse fieri ut *Matthiae* Evangelium *Barnabae* nomine Gelasius vocaverit, cui non modo *Evangelium* veteres tribuant, verum etiam eidem nomen *Barnabae* fuisse, observatur p. 32. variisque conjecturis huic suspitioni fides conciliatur. At, cum *fragmentum* quoddam *Barnabae* urgeat Tolandus, ex Barocciano codice editum à Cl. *Grabio*, illud continuo ex ejus *Evangelio* petatum, parum curate disputare Tolandum evincitur p. 33. elumbesque ejus velitationes, eliduntur p. 34. Multoque minus in illo, quod jactat, *Barnabae* Evangelio illud fragmentum reperiri ostendisse Tolandum, cum ne similia quidem, tantum abest ut *eadem* exinde verba, produxerit p. 25. Et si vel extaret ibi, nihil tamen pro libri antiquitate, multum vero pro impostoris culpa & argutia posse eo argumento pugnari p. 36. Porro Cap. III. docet Cl. Autor, si vel olim *Barnabae* Evangelium extitisset, minime tamen hoc, quod Tolandus produxit, idem cum *veteri* illo esse, vel *Mahumedis* in eo factam mentionem, recentioris *Barnabae* aetate hominis, ostendere; quo ictu elidendo Tolandum frustra codicis corruptionem obtendere p. 38. Pariter Evangelium hoc, magno apud Turcos in *honore* esse ne ullo docuisset argumento Tolandum, nisi quod evincat tantum modo Codicis *descriptorem* fuisse Turcam. Quin potius nullum apud Turcos Ev-

angelium de Christo magni fieri, neque ejusmodi apud illos delituisse unquam, plurima arguere, neque si tale haberent, hoc *Barnabae* esse evictum dari posse p. 40. Nam plurima docere illud compilatum esse abs homine fraudulento quodam & Turcarum fabulis imbuto, cui ratiocinio firmando & alia, quæ causam scripti libri produnt, in medium proferuntur, & ex quibusdam documentis iterum ejus ineptiæ quales & quantæ sint in aprica luce ponuntur p. 41-45. tum quam imperite Tolandus concludat, quæ *Turci* de Christo passim memorant, ex hoc *Barnabae* libro deprompta esse p. 45. sq. ostenditur.

Ex quo vero Tolandus, hoc *Barnabae* Evangelium eas doctrinæ partes continere tradat, quæ quidem fuere priscorum *Ebionitarum* & *Nazarenorum*, eosque de meliori luto *Christianos* fuisse nos credere jubeat: hinc Cap. IV. & seqq. Moshemius in *Ebionitarum* & *Nazarenorum* sectas disciplinamq; uberius inquirat, rei que Christianæ multo doctrinæ adparatu evoluit incunabula. Quæcunque igitur Tolandus de *Nazarenis* ad causæ suæ perorationem protulit, exeuntur & quidem quæ ad eorundem *historiam* spectant p. 51. sqq. ubi principio quam vane jactaverit Tolandus se *Nazarenorum* & *Ebionaeorum* historiæ lucem novam intulisse, arguitur p. 51. Exhibita enim ejus sententia, quidque fidei dari possit *Epiphani* atque *Hieronymi* de his relationi-

bus p. 52. 53. penitiori indagine disputat, Nazarenorum & Ebionitarum non unam, ut adversario placet, sed *disparem* fuisse sectam pag. 54. sqq. Probatque idipsum (a) ex patrum consensu p. 54. solutis Tolandi objectionibus pag. 56. 57. tum (b) ex dogmatum *utriusque* populi *discrepantia* p. 58. sqq. ubi (1) Ebionitarum non Nazarenorum fuisse sententiam Jesum fuisse nudum hominem ex Josepho & Maria genitum p. 59. in quam rem lexcussa curatius Nazarenorum de Christo sententia Theodoretii verba testantis Nazaræos Christum ut *δίκαιον ἀνθρώπων* veneratos esse, ceteris testimoniis de divinitatis Christi apud eos persuasione haud adversa esse, ostenditur p. 63. sq. (2) Ebionæos & Nazarenos eisdem libros *divinos* haud agnovisse, utpote cum illi spretis Pauli Epistolis magno loco *Evangelium secundum Ebræos* habuerint. At Nazarenos ex eodem luto fictam sententiam fovisse nullatenus posse ostendi, utut & peculiari quodam Evangelio usi sint p. 66. sqq. quod tamen ab altero Ebionitarum *diversum* est p. 68. utpote cum verosimile sit Ebionitarum Evangelium non multū à *Matthæi* dispar fuisse uti ex fragmento quodam apud Irenæum, quod simul illustrat, conjicere fas sit p. 69. sq. *Separatim* proinde acturus de *utraque* secta principio NAZARENOS in scenam producit, quique homines fuerint Cap. V. uberiorius inquirit. Docetur idcirco Tolandum nihil eorum, quæ de *Nazarenorum* secta eorumq; fide

fide in Christum nostra meliori docere voluit, comprobasse p. 73. sq. speciatimq; (1) argumentum à *similitudine nominum* petitum, lubricum esse admodum, unde colligi haud iusto possit *Nazarenorum* sectam, quam patres memorant, eandem esse cum *primis* Christianis, utpote quibus per *contemptum* idque à *Judeis* nomen *Nazarenorum* inditum pag. 75. sqq. qua occasione Epiphanius notatur p. 77. tradens id nomen iis ab ipsis Apostolis positum esse. *Nazarenos* autem hæreticos sibi met ipsis id nominis dedisse tradere Epiphanium p. 78. Obiter autem pluribus graviter exagitur votum Tolandi, qui, exinde quod tanto perperam amore erga *Nazarenos* feratur, sibi nomen non Christiani sed *Nazareni* expetiit. p. 80. sq. Tum (2) *etatem* *Nazarenorum* ruspaturus, *Rhenferdium*, *Grotium*, *Danaeum*, *Simoniumque*, qui æque *Nazarenos* *primis* Christianis seculis, sed diversa ac Tolandus via, adjudicarunt, levibus uti conjectationibus ostendit p. 83. sq. Quam ob rem contra Cl. Moshemius urget de his *Nazarenis* ante *Epiphanium* nullam extare memoriam. Anteriores de iis altum silere, p. 86. unde & sectam hanc *quarto* demum seculo emeruisse, conjicit pag. 87. His exploratis quæ *Epiphanius*, *Hieronymus*, *Augustinusque* de *Nazarenis* scripserunt, adducit, neque quidpiam sinceri & certi de his posse colligi ex variis, sibi met invicem adversissimis dubiisque admodum testimoniis, arguit, & quidem maxime *Augustini* error traducitur, qui

eosdem & *Symmachianos* dictos esse memora-
 vit, p. 88. seqq. tum quæ *Epiphanius* de ætate
Nazarenorum protulit, quos *Cerinthianis* fecit *συ-*
ζεύξας eosque in urbe *Pella* commorasse scri-
 psit, curatius excutiuntur p. 90. sqq. ubi *Epi-*
phanium in his de Nazarenis relationibus gra-
 vissimis non modo laborare erroribus sed &
 in hac causa falsum esse, docet p. 91. sqq. id-
 que præcipue ex *Hegesippi*, curatissimi ejus
 temporis in rebus *Hierosolymitanis* Historici, si-
 lentio p. 94. qui nihil de eorū in urbe *Pella* com-
 moratione memoravit, qua occasione *Hegesippi*
 fragmentū apud *Eusebium* de *Priscis Hæreticis*,
 quorum in locum nec *Nazareos* nec *Ebionæos*
 recenset, illustratur p. 96. maleque hinc colligere
 Tolandum *Hegesippum* fuisse sectæ *Naza-*
renorum Christianum p. 98. sqq. His missis (3) de
Nazarenorum horum statu, conditione, sedibusque
 priscis campum disputationis adaperit vi-
 deas, atque evictum simul quam adversa
 fronte in his pugna sit inter *Epiphaniū*, *Hierony-*
mi, *Augustini*que testimonia p. 100. sqq. Præci-
 pue plurimos *Hieronymi* errores castigat pag.
 101. sq. quos ex eo cum maxime fonte fluere
 observat quod fictam apud *Judeos* sectam *Naza-*
renorum cum *Nazarenis Christianis* confuderit.
 p. 108. sqq. coll. p. 103. sqq. tum quod æstu di-
 sputationis fervidæ adversus *Augustinum* ab-
 reptus, studio contradicendi viro bono, *Hie-*
ronymus in pessimos naves, ut solet, incide-
 rit p. 105. sqq. qua occasione *Hieronymi* in
 dis-

disputando fervor & levitas argumentorum, quæ præcipue ab *invidia nominum* petit seu aliorum *Hereticorum* idem sentientium, exagitur. Atque utinam & hodie ejusmodi argumentis supersederemus, qui parum quid dixerit quispiam pensi habentes, tantum sententiæ repudiandæ sufficere putamus, si *adversarios* quosdam in eadem, ut putamus, *heresi* versari indicemus. Nazarenos excipiunt EBIONITAE quorum ut & *Ebionis* negotia Cap. VI. & VII. eruuntur. Et quidem paucis de eorum *antiquitate* delibatis, quod *primis* seculis extiterint, ad locum *Irenæi* acceditur, eos notantis quod *Hierosolymam* adorent p. 113. Hoc ex more Judaico, qui preces versus *templi situm* fundebant, illustratur, pag. 114. Hinc iterum Tolandum adoritur, quem ex eo quod Ebionitarum secta inter Christianos *antiqua* fuerit, inde *primos* Christianos eorum dogmata suscepisse, frustra concludere, docet p. 114. seq. Pergit autem ad antiquitates Ebionitarum eruendas, & maximam de *Ebione*, num talis extiterit unquam, ita pertractat controversiam, ut eos non usque adeo ineptos esse, ac quidem Tolandus censet, qui affirmativam tuentur, ostendat pag. 116. sq. eamque de industria excutiat disceptationem, qua *Ebionem* reapse extitisse verosimile esse inquit pag. 119. sqq. confutatis adversariorum argumentis. Quippe (1) argumentum à nomine petitum quod *Ebio* notet *pauperem* elum-

be esse, si inde concludatur ejusmodi nunquam extitisse hominem. p. 120. tum (2) ad alterum, quod plurimi patrum *Ebionitas* memorantes, *Ebionem* nesciant, respondet p. 121. tum (3) a *paupertate* ipsis nomen inditum esse, plurimos tradidisse p. 121. sqq. evertit ita, ut plurima patrum loca, quæ *Ebionitas* vel à *paupertate mentis* vel *fortunarum* dictos esse docent, illustrentur p. 122. sqq. Tum falso jactasse *Ebionaeos* nomen ipsorum à *fortunarum tenuitate* descendere, evincat pag. 124. sq. Denique locus *Origenis* excutitur, docentis Christianos à *Judeis* dictos esse *Ebionitas*, pag. 130. neque probabile esse *Judeos* Christianis nomen *pauperum* indidisse, disputat pag. 131. Quoniam vero Tolando audacter adeo asserere placuit *Christianorum* priscorum dogmata eadem esse ac *Ebionitarum*, quæ cum præceptis in *Barnabæ* memorato Evangelio unanimi sententia sint; Clar. Moshemius Cap. VII. luculenter ostendit *dogmatis Ebionitarum* nullum *primorum* Christianorum cœtum imbutum fuisse. Enumeratis enim *Ebionitarum* dogmatibus, ab iis immunes fuisse *primas* quarum *origenes* indicantur Ecclesias quæ florere *Hierosolymis* vel ante vel post conditam ab Hadriano *Aeliam Capitolinam* p. 136. sq. *Romæ* p. 143. sqq. *Corinthi* p. 148. sqq. *Antiochiæ* p. 151. sqq. *Smyrnæ* p. 156. sqq. *Ephesi* p. 158 & *Alexandriæ* pag. 160. sqq. multa eruditione docetur, adeoque & hac causa cadere Tolandum evincitur p. 162. Iis ta-

tamen varias disceptationes observationesque
 immixtas videmus, sicuti de *duplici* conditio-
 ne Christiani Coetus, qui Hierosolymis flo-
 ruit, ante & post conditam Aeliam p. 136. de
cultu legis Mosaicae in primo coetu Hierosolymi-
 tano p. 137. sqq. illustratis hanc in rem variis
 S. Codicis locis Act. XV: 10. Gal. II: 17. 14. 1.
 Petr. I: 18. de amicitia & in doctrinae capiti-
 bus conspiratione *Ignatii & Polycarpi* p. 156. sq.
 aliasque passim plurimas. Denique his per-
 oratis omnia in summam rediguntur, primæ-
 que sectioni Cap. VIII. finis imponitur. Eo
 autem id agit iterum, ut ostendat quam futi-
 libus his ratiociniis turpiter se dederit Tolan-
 dus, quod *Turcos* in *Christianorum* numerum,
 ob spurii hujus *Barnabae Evangelii* apud illos
 reverentiam, quam falso tamen obtendit, re-
 cipiendos esse tanto opere annisus sit, quo
Nazareno suo ostenderet. Neque satis esse, ut ii,
 qui quidem non usq; adeo maligne de Christo
 sentiunt, in discipulorum ipsius coetum co-
 optentur. Cum maxima de receptione *Chri-
 sti doctrinae* apud eosdem controversia, nullis
 vel flocci ponderibus ab ipso evicta sit pag.
 104. sq. *Guilielmum* quidem *Postellum* jam olim
 pro *Turcis & Mubammede* fecisse verba, *Tur-
 cos* Christianis, ut ille equos gryphibus, con-
 jungentem; at tot portentis opinionum non
 vacasse ac quidem infelix Tolandi ingenium
 protulit p. 166. sq. quæ nisi funditus ex ani-
 mis hominum eradantur, quanto cum rei

Christianæ sacræque detrimento conjunctæ
sint ostenditur p. 167. sq.

Subsequentes duæ sectiones priori multo
breviores sunt non auctoris sed librarii culpa.
Ita tamen comparatæ sunt, ut *veram indolem
Christianæ religionis* contra Tolandi criminatio-
nes, acriter defendant simul & explicent.
Relata enim sect. II. ejusdem de indole *duplici-
um* Christianorum sententia quorum alii ex
Judeis legis Mosaicæ præceptis adhuc obliga-
rentur alii ex *gentibus* ab iis immunes viverent
p. 169. quam levibus ea tibicinibus nixa sit
pluribus evincit p. 170. sqq. & præcipue *septe-
narium* argumentorum quem Tolandus pro
æterna Judæorum lege observanda in aciem pro-
duxit, ita profligat p. 172. sqq. ut de trium-
pho nemo ipsi fortasse dubiam palmam faciet.
Sicuti & hac de causa nonnulla S. Cod. loca ut
1. Cor. VII: 17-20. Mat. V: 17. Luc. XVI: 17. Gal. II:
7. Act. XXI: 20-26. elucidantur, & a Tolandi
cavillationibus liberantur, quemadmodum &
ἐναυτιοφάνας inter Paulum, qui toties *fidem* ur-
get & *Jacobum* qui *Opera* II: 18. tangit, quam
parum concinne Tolandum exinde solvere
quod *opera* sint *lex Mosis*, & *fides* Christiana
religio, quamque nulla ea sit opinio, osten-
dit p. 177. sq. Sect. III. varias Tolandi queri-
monias discutit, quas in *doctrinæ Christianæ*,
quam imbibimus, molitus est fraudem, quo
nostra *Mahumedanam legem* meliorem esse im-
peritis persuadeat, uti hinc recoquit contro-

verſiam de copia Variant. Lect. N. T. pag. 179. Cerinthi ſententiam qua Chriſtum in vitam rediſſe negavit pag. 179. Denique & quatuor ejus quaſtiones, quas per cuniculos evertendæ divinitati librorum novi fœderis, Tolandus produxit, ſevera lege examinantur, & de *Canone N. T.* diſputatur pag. 180. ſqq. At quoniam illæ quaſtiones nimis generales ſunt, brevibus quidem deſunctus eſt, at mente ipſius uberius cognita, ſe amplioſrem & in hac cauſa harenam non ſubterfugere ad calcem operis indicat p. 184.

Atque in his opera Clar. *Moſhemii* verſatur, quam famoſo Tolandi libro confutando inſumſit. Apparet vero ubique doctiſſimi viri in arte diſputandi peritia, qui omnes adverſarii, ſemper latebras quaerentis, angulos perreptat, clareque mentem ejus exponit ipſis verbis Anglico ſermone ſubjunctis. Tum eum ita in anguſtias omnes pellit, ut elabendi rimam quo reperturus ſit, deſperem. Præterea multam Moſhemii in *Historia Eccleſiaſtica* & quidem retruſiori hic liber indicat peritiam multamque cum priſcis Eccleſiæ patribus familiaritatem. Adeoque cum ſit πολυμαθής adeo, hinc & in hoc opere novos præclari ingenii fœtus mox lucem viſuros promittit, veluti (1) *libros obſerv. Sacrarum & Eccleſiaſt.* pag. 31. 58. 67. & paſſim (2) integram de *Nazarenorum & Ebionitarum ſectis* pertractationem Cap. IV. p. 49. (3) *obſervationes ad I. Epist. ad Corinthios* p. 149. (4) *Historiam Cerinthi* p. 179. Quibus ut ſtet

stet promissis V. Cl. publico eruditorum bo-
 no eum majorem in modum postulamus, va-
 letudinemque, quam adflictam esse aliquan-
 topere ægre audivimus, inconcussam adpre-
 camur. Hoc tantum addimus auctori & in
 more positum esse, ut observationes quasdam,
 quas series disputationis haud capere videtur,
 textui notarum instar subjungat. Hinc & plu-
 rimis ejusmodi hunc librum adpersit doctis
 sane & laboriosis, quemadmodum p. 63-67.
 excurrit in excutiendis iis quæ de Nazarenis
Theodoretus scripsit, eaque maximis scaterere er-
 roribus docet. Tum p. 69. *Chr. Sandii* pesti-
 mas & fraudulentas citationes exagitat. Dein
Lamb. Danao multos errores quos de *Nazare-*
nis commisit, exprobrat p. 91-94. uti & in ex-
 plicatione loci apud *Eusebium* de *Ebionitis* p.
 112. sq. Porro observat p. 95. credibile haud
 esse *Christianos Pellam* dereliquisse ante *Aeli-*
am ab *Hadriano* conditam, uti & locum *Hippo-*
lyti de *Antichristo* critico examini emendatio-
 nique subicit p. 61. Ne de *fide actorum Marty-*
rui S. Ignatii p. 152. aliasque disquisitiones enu-
 meremus. Facile enim ex hac fimbria lector
 de ipso texto iudicium feret.

ALLOQUIUM IRENICUM

AD

PROTESTANTES,

Ubi,

Qui in diversa hæctentis sacra
abiere,

Ut,

VERITATE ET AMORE DU-
CIBUS,

Deoque & Evangelio & communiChri-
stianismi lege & summa præsentium
rerum necessitate ita postu-
lantibus

Dextras fidemque vel tandem jungant,
pacemque Ecclesiasticam pan-
gant, monentur.

PROLOGUS.

EA sunt præsentium temporum signa,
ea tempestatis, quæ capitibus nostris
incumbit, ratio est, ut, nisi vigili
oculo id, quod ad pacem nostram &
salutem pertinet, jam curemus, qui
Pro-

Protestantes vocamur, armaque, queis ha-
 ctenus in propria viscera sæviimus, mox po-
 namus viresq; hactenus divisas uniamus, per-
 peram omninò rebus nostris consulamus.
 Proximus certè, uti videmus, ardet paries
 latiusque mox serpet incendium, nisi promptæ,
 quæ medelam grassanti igni adhibeant, ma-
 nus nostræ advolent. Et verò præter preces,
 quæ arma Ecclesiæ sunt, quibus & cœlum
 tundimus, quibus & inimicorum quorumvis
 consilia & molimina in fugam agimus atque
 destruimus, duo præcipuè sunt, queis ani-
 mum hic, queis studium omne, quod
 possumus, affundere debemus. Unum
 est, ut veri & practici Christianismi
 conversionisque & sanctificationis vera in-
 doles, destructis præjudiciis illis hominum
 communibus, quæ incredulitatem, acediam
 spiritualem, superstitionem, anathematismos
 mutuos & impietatem gignunt, luculentius &
 majori cum ardore in cœtibus nostris doceatur
 & posthabitis litibus inanibus & scholasticis
 subtilibusque rerum evolutionibus mascula
 pietas virtusque, mediante Spiritûs S. lumi-
 ne, animis instilletur. Jam enim, si hoc non
 agatur, sed alii fines hîc nos agitent, ne hi-
 lum quidem umquam proficere nobis contin-
 get, cum, ubi hæc negliguntur, nonnisi con-
 fusio rerum & inane unionis somnium exspe-
 ctandum atque ex uno schismate propullulans
 aliud metuendum sit, ubi verò ad penitio-
 rem Ecclesiarum ædificationem hîc primùm
 digi-

digitus intenditur animique ante omnia sub-
 genuini verique Christianismi modestiæ-
 que & mansuetudinis pacisque Christia-
 næ leges rediguntur, cætera omnia suâ
 sponte fluant. Alterum, quod omnibus
 modis curandum nobis venit, unio est eccle-
 siastica, non sanè merè politica & civilis, ut-
 pote quæ sine ecclesiasticâ haud satis floret
 nec eos benedictionis divinæ rivos in nos ef-
 fundere apta est, qui nobis necessarii sunt.
 Jam, qualis hæc unio esse debeat, quâ ra-
 tione & ea fieri atq; iniri debeat & possit, non
 enim de spectris hîc aut entibus rationis agi-
 mus vel idéas Platonicas in scenam, quam si-
 stimus, projecimus, paucis edisserendum est.

ARTICULUS PRIMUS.

UNio ecclesiastica (jam enim ante omnia
 terminum evolvimus, ne cum tenebris
 luctari nobis contingat,) ea est, ubi spi-
 ritualis quædam & sacra inter nos amicitia flo-
 ret, quâ acti nos invicem tanquam membra
 veræ Ecclesiæ, tanquam membra Jesu Chri-
 sti, tanquam fratres in fide exosculamur,
 queis hâc doctrinæ & Christianismi viâ gra-
 dientibus eadem cœlestis olim gloria pateat,
 ubi etiam vel tandem in signum communio-
 nis nostræ iisdem sacris, iisdem sacramentis
 utimur. Et ex hâc quidem definitione facile
 jam patet, unionem hanc esse vel externam
 vel

vel internam, variosque utriusque esse gradus. Externa ex concordia in fundamentalibus fidei articulis, quos profiteamur, proficiscitur, & primum quidem omnes anathematismos mutuos in exilium agit, deinde verò & eorundem sacrorum, eorundem sacramentorum frequentationem post se trahit, ubi majores eundo vires acquiriverit. Interna unio non saltem eandem fidei sed & conversionis sanctificationisque communionem eandem eandemque vitam spiritualem per bona opera apud eos, qui hoc vinculo uniuntur, florentem supponit. Sed de hac quidem posteriore nobis jam quæstio præcipua haud est, licet hæc alterâ longè nobilior sit & sola coram DEO valeat. Sufficiat, in hac rerum imperfectione, ubi Ecclesiæ visibiles ex bonis & malis consistunt, priorem stabilire, licet eam ita stabilitam velimus, ut ex posteriore, quâ subinde illa plurimum diluitur, præcipuam virtutem suam atque florem nanciscatur. Certè enim, quò sanctiora membra unusquisque cœtus in sinu suo fovet, eò præstantior & eorundem unio ecclesiastica est.

ARTICULUS SECUNDUS.

UNio ecclesiastica, ubi veritati doctrinæ haud superstruitur, impia est Deoque invisâ. Profectò enim, etsi in rebus fundamen-

damentum fidei haud tangentibus dissensus semper in coetibus Christianis mansurus sit, nec detur unquam, qui cum altero idem in omnibus ex omni parte sentiat, fundamentum fidei tamen factum tectumque servari debet, ita ut & totum illud heic adsit nullâque sui parte deficiat, neque etiam falsâ quâdam doctrinâ subruatur. Probè itaque cavendum est, ne, qui unionem quærimus, in nefandum syncretismum incidamus. Fugienda est Scylla, id est, rigor ille sacer, ubi fratres in rebus minus fundamentalibus & ritualibus tantisper saltem dissentientes miro ausu damnamus, fugienda & est Charybdis, id est, syncretismus, ubi pacem pangimus, qui in fundamento fidei discrepamus.

ARTICULUS TERTIUS.

ITaque ergò jam, ubi de pace ecclesiasticâ inter Protestantes pangèdâ agitur, ad hanc quæstionem vel tandem omnia devolvuntur, num Ecclesiæ Augustanæ Confessionis & Reformatæ in fundamentalibus fidei articulis à se invicem dissideant. Et verò heic in diversum abeunt animi, illis quidem serè omnibus quæsitum affirmantibus, his negantibus. Si itaque heic egregii quid quis præstare voluerit, oportet, ut litem hanc rectè diluat & determinet. Hoc verò ut fiat, in rem præsentem veniendum terminique mox cum curâ evol-

vendi, quid porrò ex utrâque parte concedatur, quid negetur, probè ponderandum, momentum dissensus rectè expendendum, consequentiæ, quas dissentientes haud admittunt, invitis non obtrudendæ atque ex solis confessionibus publicis, nullis scriptis privatis heic sapiendum omniaque ad lancem scripturarum sanctiorum, omni avitorum præjudiciorum sectæque & autoritatis studio seposito iudicioque solidiore rebus affuso, prælucente & vel maximè divino lumine, examinanda, maximè verò characteres articulorum fidei fundamentalium rectè ponendi sunt.

ARTICULUS QUARTUS.

Articulus fidei fundamentalis ejusmodi quædam doctrina sanctior est, quæ viam ad salutem mihi aperit, quâ & ignoratâ vel negatâ ipsa hæc via ex oculis meis prorsus evanescit. Jam ad articulum fidei fundamentalem requiritur, 1. ut in scripturis sanctioribus tanquam ad salutem necessarius haud obscure determinetur, 2. ut in iisdem clarissimè elatus conspiciatur, ita ut quivis etiam indoctus facile eum capere possit. 3. ut sine eo nec fides in Christum gigni servarive nec conversionis aut sanctificationis vera ratio consistere salusve obtineri possit. 4. ut traditioni Ecclesiæ universali haud repugnet, imò, licet subinde tenebris barbarorum & superstitiosorum seculo-

rum fuerit obscuratus, semper tamen à sanio-
 re parte in Ecclesiâ creditus vel saltem haud
 semper, ubique & ab omnibus ignoratus aut
 negatus fuerit. Jam addendi sunt hi cano-
 nes. I. Solus DEUS, quid fundamentale aut
 creditu ad salutem necessarium sit, determi-
 nare potest, hominum nullus, qui, ubi id
 suâ autoritate facit, in jura divinitatis hor-
 rendo ausu involat. II. Non omnes veri-
 tates, quæ in sacro codice continentur, sunt
 fundamentales seu necessarium cum salute
 nexum habent. III. Nec tamen hinc sequitur,
 esse veritates in sacris literis exstantes, quæ de
 fide haud sint. Mox enim, ubi convictus
 sum, ita in diviniore scripturâ rem ha-
 beri, fides illi affundenda, nisi contra arti-
 culos fundamentales de veritate DEI vel divi-
 nitate Scripturæ impingere velim. IV. Di-
 stinguenda ea sunt, quæ ad parandam salu-
 tem necessaria fuere, ab iis, quæ cognitu ne-
 cessaria sunt. Multa olim in futuro seculo no-
 bis revelabuntur, ad prius illud spectantia,
 quæ in hoc nos impunè latent. Et constat,
 salvari quem medicinâ posse, licet, quæ ipsam
 ingrediantur & conficiant, partes eundem
 hæctenus lateant, licet & iste in iis adsignan-
 dis subinde erret. Id quod tamen cum gra-
 no salis hic adplicatum volumus. Nihil ita-
 que creditu ad salutem necessarium dici de-
 bet, nisi quod in scripturis diviniorebus tan-
 quam tale sit clarissimè determinatum.

V. Fundamentalia, quæ dantur, & theoretica & practica sunt. Absit, ut ajas, non esse curandum, quid quis credat, si modò sanctè vivat, cum vita bona falsæ theoriæ superstrui haud possit. VI. DEUS ab his prolixiorē theoriam requirit, ab aliis secus, pro vario œconomiarum, queis homines immittit, ordine, pro variâ rationis, luminis & gratiæ, quâ ipsos beat, mensurâ aliisque circumstantiis, quæ heic sese præsentēs subinde sistunt. VII. Non saltem id fundamentale est, quod expressis verbis in divino codice existat sed & id, quod per evidentissimam planè illationem ex veritatibus, quas Spiritus S. creditu ad salutem necessarias esse profitetur, extrahitur. VIII. Veritates non fundamentales adeò susque deque habendæ non sunt, ut & heic maximo cum studio proficere aliisque easdem suaviter insinuare debeamus, etsi nihil cuiquam hîc imponendum nec mentes limitandæ sint. Hinc, quando de nobismet ipsis agitur, tutius est, vel à minimis erroribus, quasi fundamentales essent, abhorrere. At, ubi de aliis agitur, tolerantia via hîc ineunda est, quam Evangelium suadet. IX. Cum religio non minus vulgi quàm doctorum, imò magis vulgi quàm doctorum sit, patet, nihil esse fundamentale, quod captum vulgi superat & sine tricis scholasticis efferri nesciat. Hinc acutè Hilarius: *Non per difficiles nos DEUS quæstiones ad beatam vitam vocat. In expedito & facili est*
 eter-

æternitas. L. X. de Trinitate. X. Fundamenta-
 talia numero oppidò pauca sunt. XI. Res
 sæpè fundamentalis est, etiamsi modus ejus,
 qui subinde nos latet, non sit fundamentalis.
 XII. Fundamentaliter errari potest, non sal-
 tem fundamentale aliquid disertè negando,
 sed & aliquid fundamento superstruendo,
 quod ipsum subruat. Id quod in Ecclesiâ
 Romanâ fit. XIII. Ut determinetur, quid
 sit fundamentale, non est necessarium, nu-
 merum articulorum fidei fundamentalium
 determinare, cum tota credendorum massa
 variè dispesci possit, &, uti diximus, DEUS
 ab hoc pro mensurâ luminis, quo floret, pro-
 lixiorem theoriam quàm ab altero poscat. Tam
 angustis & præcis limitibus hæc omnia coer-
 ceri nequeunt. XIV. Inter eos, qui in fun-
 damentalibus dissentiunt, communio eccle-
 siastica haberi nequit. Id quod ex terminis
 patet. XV. Ii, qui in fundamentalibus con-
 sentiunt, licet in minus fundamentalibus, licet
 in ritualibus subinde à se invicem dissentiant, ab
 omni anathematisimo mutuo abstinere unam-
 que & eandem communionem ecclesiasticam
 tenere ex lege Evangelii tenentur. Certè,
 hoc nisi foret, & inter ipsas Augustanæ Con-
 fessionis Ecclesias, ubi subinde dissensus in
 minus fundamentalibus & ritualibus observa-
 tur, unio haud pangenda foret. Sed eò qui-
 dem absurditatis & impietatis nemo est, qui
 vadat. XVI. Toleratio errantibus sensim

sensimque veritatem insinuat, anathematismi
 pertinaciam in errore infundunt. Unde, nisi
 contrarium jusserit divina lex, via tolerantiae
 semper ineunda est. XVII. Eos, quos DE-
 US pro suis reputat & salvat, qui Christi
 imaginem gerunt & Spiritu S. florent, propter
 dissensum in minus fundamentalibus damna-
 re & à communione ipsorum sese abstrahere
 vel summam in rebus divinis ignorantiam vel
 impietatem & pugnacitatem Christiano ho-
 mine indignissimam olet. XVIII. Non est
 possibile, ut in omnibus, etiam minus funda-
 mentalibus, omnes unquam consentiant, ni-
 si ingenium hominum per maximum miracu-
 lum penitus mutetur & alia œconomia divi-
 na subeat. Quin nec possibile est pro præ-
 senti ingenii hñmani indole & œconomiae di-
 vinae ratione, ut detur homo, qui nunquam ne
 in minus fundamentalibus quidem erret, pro-
 ut ejusmodi nullus homo datur, qui nun-
 quam peccet. Et ita etiam de totis Ecclesia-
 rum cœtibus pronuntiandum est, qui nec in-
 fallibiles sunt, uti nec impeccabiles. Itaque,
 nisi confusio, nisi rixis, nisi schismatum
 pruritui latissimam portam aperire velimus,
 heic via patientiae ineunda est. *Hic est patien-
 tia sanctorum.* XIX. Odiosa consecraria, quæ
 dissentiens haud admittit, uti jam dicere cœ-
 pimus, sine injustitiâ ipsi obtrudi nequeunt.
 Nec est, quòd ajas, jam verò hæc ex ipsius erro-
 re sponte sequi. Jam enim respondeo, ex eo,
 quòd

quòd necessaria ejusmodi confectaria iste haud admittat, patere, quòd dogma aliter intellectum velit, ac egomet id interpreter, vel quòd principia ipsius, id quod in hâc rerum imperfectione facilè fieri potest, nullâ connexionione floreat. XX. Nemo fundamentalius errat, quàm qui in articulis practicis errat. Et verò, cùm ejusmodi hæreticis practicis, qui e.g. sanctificationis internæ necessitatem negant & sufficere existimant, si saltem publico cultui inhies & peccata in oculos incurrentia vites, Ecclesiæ scateant, nec tamen heic schisma facere liceat, patet, quanta tolerationis Christianæ in erroribus maximis laxitas jamjam ubique obtineat, quam tamen nemo est, qui facilè culpet. Itaque ergò confer Matth. XXIII, 24.

ARTICULIUS QUINTUS.

JAm hisce præmissis, probandum venit, articulos illos præcipuos, in quibus Protestantes dissentiunt, fidei fundamentum prorsus haud tangere. Sunt autem hæ controversiæ præcipuæ tres, de personâ Christi, de prædestinatione & de epulo sacro. Dicamus primum, quis circa personam Christi consensus, quis dissensus sit. Consentiunt hîc Protestantes, duas esse in Christo naturas divinam & humanam personali unione conjunctas, quâ naturæ haud confundantur vel essentielles ea-

rum proprietates aboleantur nec persona dividatur, atque hanc Christi Θεανθρωπίνην personam omnisciam, omnipotentem, omnipræsentem, adorandam esse, passiones item Christi, quas sustinuerit, infiniti valoris ad redimendos homines esse. Differunt in eo, quòd Augustanæ Confessionis Theologi ajunt, attributa divina omniscientiam, omnipotentiam, omnipræsentiam, adorabilitatem humanæ naturæ communicatam esse, Reformati verò ajant, ea non naturæ humanæ communicata esse, cui ista attributa nunquam competere possint, ast personæ quidem Christi communicata esse. Et verò quis non videt, & controversiam hanc nullum secum momentum ferre & in nudam de voce litem vel tandem abire? Primò enim abstractio metaphysica, cujus profectò nulla est necessitas, quam & vulgus non capit, quam & scriptura sanctior nullibi urget, totam hanc litem fundat. Quid opus est, de naturâ in abstracto longam & odiosam litem necere? Sufficiat nobis, Christum, DEUM & hominem omniscium, omnipotentem, omnipræsentem & adorandum esse, quod nemo est Protestantium, qui diffiteatur. Secundò, si penitioris judicii lucernam rebus curatius hîc inspiciendis admoveamus, videbimus illicò, Andabatarum more heic pugnatum hætenus fuisse unamque partem alterius mentē haud satis intellexisse. Jam enim, ubi Reformati negant, communicati-

onem

onem attributorum inter duas naturas dari, eam intelligunt, quæ per transfusionem fit, quâ idiomatica sive attributa divina in humanam naturam transfundantur & transmeent, quam verò nemo est Theologorum Augustanæ Confessionis tam insulsus ut statuat, & ubi Theologi Augustanæ Confessionis affirmant, dari utique communicationem istam idiomaticam, eam saltem indigitant, quæ est secundum conjunctionem, quâ divina & humana natura in Christo personaliter secum invicem junguntur, & quam profectò Reformatorum nemo tam jejunos est, qui sollicitet. Mira res, qui tanta logomachia tot sapientum virum animos hactenus in suspensio tenere potuerit. Sed quid affectus, quid punctum honoris, quid studium sectæ, quid præjudicia non faciunt? Eja, nuntium vel tandem hisce omnibus mittamus eaque DEO, Ecclesiæ, veritati & paci vel tandem sacrificemus. Aliter tamen paululum cum prædestinatione sese res habet. Non est, non est, quòd logomachiam saltem quandam rebus heic subesse suspicemur, qui sapimus, qui veritatis studio prorsus floremus. Etsi enim in hoc omnes conveniamus, bonum omne à DEO, à nullo nostro nisu nec voluntate propriâ aut viribus naturalibus procedere, malum & à nobis solis oriri, ita porrò liberum esse hominem, ut laude vel vituperio, præmio vel pœnâ dignus sit, omnes item suâ culpâ, nullo DEI defectu

perire neminemque esse excusabilem, cum peccet, neminem & esse mortalium, qui, si Evangelio credat & poenitentiam agat, DEUM sibi benè velle & salutem sibi certam esse tutò confidere non possit, qui &, si donis sibi concessis rectè uteretur, DEO non foret acceptissimus, eosque, qui in statu gratiæ divinæ sunt, ex interno Spiritûs S. quo florent, testimonio indubiisque fidei criteriis id certissimè cognoscere, nihil denique in tempore accidere, quod in æternis DEI consiliis definitum non fuerit, & nullâ temporis successione, non variis actibus & consiliorum sese subinde insequentium scalis sed UNO ACTU simplicissimo OMNIA decreta divina de redemptione & salvatione hominum facta esse, etsi & omnes fateamur, æterna DEI consilia rerum naturas non invertere nihilque libertati nostræ officere, neque nos ex DEI decretis sed ex propriis factis judicandos esse, cum, quicquid tandem accidat, DEUS justissimus Judex sit, etsi & nemo, quis reprobus sit, ante hominis mortem determinet, gratiaque DEI voluntatem eorum, qui convertuntur, animosque ita trahat, ut omnes scrupulos, qui ex doctrinâ quâdam periculosiore heic ipsis subnasci possent, facilè vincant, nullique apud Reformatos conspiciantur, quos doctrina de absoluto decreto in desperationis barathrum præcipitet, etsi inquam hæc omnia ita sese habeant, quæstiones tamen hæc adhuc restant,

stant; num benevolentia DEI & meritum Christi & vocatio sit universalis an particularis, num & gratia, quâ convertimur, sit resistibilis, & amissibilis, an irresistibilis & inamissibilis. Et heic quidem prius Augustanæ Confessionis, posterius Reformati Theologi tenent. Et quàm vellemus nos, ut dissensus hic ex clarissimis scripturarum sanctorum efatis, quæ nobis universalissimam gratiam divinam eandemque resistibilem sistunt, illicò tolleretur. Sed ita fictum est ingenium humanum, ut per omnia secula, queis res Christiana hæctenùs floruit, hanc in rem usque ad nostra tempora disceptatum nihilque actum fuerit. Jam & facile vident sapientes, I. utrumque systema inextricabilibus difficultatibus involutum esse suaque subinde scripturæ canonicæ effata in speciem pro se militantiâ habere nec plenum in omnibus consensum hîc expectari posse, esse enim heic consiliorum divinorû *βάθος* quoddam & profunditatem, quam ne ipse quidem Apostolus Paulus LICET DIVINITUS INSPIRATUS satis assequi potuerit, in quam & vel tandem omnes, qui longas de hoc articulo lites nectunt, ex propriâ confessione præcipites velint, nolint, cadere necessum habeant, fatendam itaque heic nobis ignorantiam nostram & suspendendum iudicium pleniorumque rerum evolutionem seculo futuro reservandum esse. II. nullam prudentiorem viam & quæ unionem Ecclesiarum
ma-

magis promoveat, heic iniri posse, quàm si
 arcanæ consiliorum & viarum divinarum rati-
 ones curiosè & maximè coram populo, imò
 & in scriptis haud evolvantur sed modestiæ
 theologicæ unicè liretur & sola scripturarum
 sanctorum effata heic adhibeantur studium-
 que veræ sanctificationis apud omnes maximo
 cum studio semperque urgeatur. III. probè
 notandum esse, Augustanæ Confessionis
 Theologos, ubi dicunt, DEUM omnium sa-
 lutem velle, id non de absolutâ, utpote quâ
 neminem salvat, cum nemo sine ordine fidei
 salvetur, & quâ si omnes salvare vellet, o-
 mnes & actu salvarentur, sed de ordinatâ vo-
 luntate, quæ fidem includit & quæ nec Refor-
 matis displicet, intellectum velle. IV. ne-
 minem tam ineptum esse, ut dicat, fideles,
 cum convertuntur, gratiæ resistere posse vel
 actu resistere, contradictionem enim manife-
 stam hoc involveret. Primis verò gratiæ
 motibus eos, qui non convertantur, resistere
 ipso facto pro dolor! satis patet. V. licet
 omninò hæc controversia realis semper ma-
 neat, num DEUS seridè velit, ut omnes homi-
 nes juxta ordinem salutis ab ipso institutum sal-
 ventur & num DEUS omnibus hominibus me-
 dia salutis tum externa tum interna destinave-
 rit, num & è statu gratiæ quis labi possit, tamen,
 ubi Reformati, inter quos verò sunt, qui ad
 universalitatem gratiæ hodie plurimùm ad-
 spirant, heic maximam partem in negativam ad-

adhuc descendunt, fidei tamen fundamentum istâ doctrinâ nondum subruunt. Etsi enim ea solitariè spectata periculosissima esse & certam illam, quâ salutem in conversione nostrâ adprehendimus, fiduciam jugulare, saltem sufflaminare & vel securitatem vel desperationem impietatemque omnigenam plurimâque alia pessima consecutaria secum vehere ab Augustanæ Confessionis Theologis existimetur, tamen, cum in ipsâ conversione testimonium Spiritûs S. internum statim adsit, cum & hæc doctrina egregiis aliis de verâ conversionis & sanctificationis indole & criteriis eodemque illo, quod nos de gratiâ divinâ longè certissimos reddit, Spiritus S. testimonio doctrinis veritatibusque aliis præstantissimis de libertate voluntatis humanæ præmii saltem & pœnæ capace & de imputabilitate actionum nostrarum, de malo saltem ex nobis propullulante sanctitatis & voluntati divinæ prorsus contrario & de necessario planè sanctificationis studio, sine quo nemo salvari possit, diluatur, cum & in sermonibus ecclesiasticis ita sermo à Reformatis inflectatur, ac si nulla prædestinatio absoluta crederetur, nemoque ex numero prædestinatorum vel eorum, queis gratia conversionis destinata est, excludatur, nec philautia hominum patiatur, ut quisquam suâ sponte huic catalogo sese immittat, & monita practica à doctoribus Reformatis ita inflectantur, ut ad
omnes

omnes pertineant, utique periculum, ex præ-
 destinatione absolutâ quod manat, maximè si
 Supralapsarianismo adhinnias, valdè minuitur,
 imò facilè patescit, errorem hunc theoreti-
 cum eum hîc esse, qui in praxin vix influat
 nec ædificationem turbet. Et sanè, funda-
 mentum fidei heic non subrui vel ex eo quis
 existimaverit, quòd & *Augustinus* & *Lutherus*,
 at quanti Viri! Reformatorum heic sententi-
 am tenuere, quos verò ex Theologis Augu-
 stanæ Confessionis nemo est qui damnet,
 adeò, ut memoriam eorundem in summo po-
 tius pretio habeant. Ut taceamus, hanc li-
 tem nec in Augustanâ Confessione nec in
 Formulâ Concordiæ decisam sed post hujus
 scriptionem demùm fusius ventilatam & in li-
 tium fundamentalium classem à Theologis il-
 latam fuisse. Denique, quod quæstionem il-
 lam de epulo sacro spectat, nulla heic, si rem
 probè pensitemus, nisi de verbis lis est. Et-
 enim Augustanæ Confessionis Theologi nun-
 quàm somniavere, Corpus Christi in sacrâ
 cœnâ præsentia quâdam naturali, qualis cor-
 porum præsentia aliâs est, vel miraculosa,
 hæc enim in sensus incurreret, aut locali, cir-
 cumscriptivâ, expansivâ vel diffusivâ præsens
 esse, Reformati verò Theologi præsentiam
 corporis Christi sacramentalem, spiri-
 tualem eamque, quæ & ex communica-
 tione idiomatum, PROUT eam supra
 explicatam dedimus, fuit, (hanc enim,
 non

non aliam, utpote quæ à Reformatis alias non agnosceretur, indigitamus,) haud sanè negant. Ita & corpus Christi sacramentale ab indignis accipi quis est, qui termino rectè intellecto negaverit, licet salutariter idem ab illis haud accipiatur. Iam &, si realis hîc dif-
 sensus foret, qualis tamen nullus est, funda-
 mentalis tamen ille prorsus haud foret. Tàm
 alta sunt, tàm abstrusa, quæ heic communi-
 ter ab iis, qui disputationibus & rigori inhi-
 ant, proponuntur, ut ipsi nesciant, quid ajant
 vel adstruant, cùm voces ipsorum nullos con-
 ceptus, nullas ideas secum ferant. Et audi-
 atur, quæsumus, saltem heic Formula Con-
 cordiæ, quæ, postquam dixerat, *modum*, se-
 cundum quem Christus in sacrâ cœnâ præ-
 sens est, *cœlestem esse*, hæc verba addit: *cor-
 pus & sanguinem Christi in sacrâ cœnâ spiritualiter
 accipi, edi & bibi. Tametsi enim, ita porro ad-
 jicitur, participatio illa ore fiat, tamen modus spi-
 ritualis est.* p. 755. 756. Quid posset explica-
 tius dici? Res, si saltem sapere velimus, in
 expedito & facili est. Nec est, quòd de indi-
 gnis tàm solliciti simus, quibus id agendum
 est, ut omnes dignorum convivarum in nu-
 mero heic habeamur. Itaque ergò, quod de-
 monstrare heic intendimus, quæstiones, quæ
 inter Protestantes intercedunt, fundamen-
 tum fidei sic haud jugulare satis jam patet.
 Addendum & hoc est, vel ex eo quoque pa-
 tere, eas tantum secum momentum haud ve-
 he-

here, quòd ad cultum aut mores prorsus haud spectent, quòd scholasticæ sint & plebis captum superent adeòque haud necessariae sint, quòd paucissimi inter ipsos Theologos statum controversiæ heic rectè formare rerumque momenta dicere norint, quod & eæ magis circa rei modum quàm rem ipsam versentur, quòd & eadem nunquàm in lucem prodiissent, certè sopitæ dudùm fuissent, nisi æmulatio, affectus, rationis humanæ, quæ omnia determinare cupit, superbia, punctum honoris, quod vocant, partium & sectæ studium atque prædantissimus academicus eas vel progenuisset vel propagâisset, (ii enim, qui ex bonâ intentione hîc disputârunt, profectò, nisi alii supervenissent remque exacerbâissent, facile calamitas positura erant,) quòd præstantissimi, qui Augustanam Confessionem suam faciunt, Theologi quæstiones hasce controversas vel planè fundamentales esse negent vel inter primarias saltem eas haud referant, quòd denique hæ quæstiones subinde & reprobos saltem tangant, quorum causam non opus est ut nostram faciamus. Tacemus alia, quæ prolixioris disquisitionem requirunt. Qui, quæ hûc spectant, legere contenderit, adeat *Jo. Alphonsi Turrettini*, Theologi Genevensis orationem de componendis Protestantium dissidiis A. MDCCVII. Genevæ recitatam, *Samuelis Werenfelsii*, Theologi Basiliensis cogitationes generales de ratione uniendi Ecclesias

Pro-

Protestantes, Christophori Matthæi Pfaffii, Theologi Tubingensis dissertationes de gratia & prædestinatione & de articulis fidei Christianæ fundamentalibus, maximè verò institutiones Theologiæ dogmaticæ & moralis, ab illo nuper datas, ea loca, ubi de decretis divinis, de unione personali & communicatione idiomatum & de S. Cœna agit. Prorsus enim irenicæ hæ institutiones sunt. Denique & adspargenda est nubes testium cum dissertatione de articulis fundamentalibus nuperrimè ab eodem Turrettino edita. Jam enim sine his subsidiis ea, quæ heic posuimus, vix satis intelligi queant. Unde datâ operâre petimus, hæc ut ab iis, quires profundius nosse volunt, inspiciantur.

ARTICULUS SEXTUS.

Cum itaque jam pateat, hanc Protestantium unionem & legitimam & necessariam esse, recto modo talo si superstruatur, restat, ut, qui ea institui possit & debeat, paucis disquiramus. Et ante omnia quidem probè notandum est, dissidium hoc UNO ICTU & vi mentibus Ecclesiisve adhibitâ haud tolli posse. Absit, absit, hoc ut fiat. Sensim sensimque procedendum animique disponendi sunt. Id quod fiet, si verî Christianismi genuinam indolem, si veritatis studium summum, si methodum, posthabito

autoritatis humanæ & sectæ studio, eam inda-
 gandi, si præjudiciorum & litium theologia-
 rum & prædantissimi academici scabiem, unde
 tanta mala promanant, si officium Christia-
 nismi de pace cum fratribus colenda, si signa
 præsentium temporum calamitatesque Eccle-
 siæ incumbentes hominibus ita, uti par est,
 ob oculos stiterimus, si & eos docuerimus,
 quæ non traditionibus Patrum sed soliscriptu-
 ræ heic inhiandum, quæ solum id, quod ve-
 rum est, sive antiquum sit, sive novum, ad-
 probandum, quæ & controversiarum momen-
 tum probè ponderandum & logomachia e-
 volvenda, quæ porrò limites scientiæ nostræ
 in hoc seculo positi non migrandi, sed, ubi
 quid determinare non licet, iudicium suspen-
 dendum modestiaque & simplicitas theologi-
 ca adprehendenda sit, quæ denique ante omnia
 alia lex divina poscat, ut non inutili & scho-
 lasticæ theoriæ, quæ lites gignit, sed praxi
 maximè theologicæ veræque virtuti, nec sub-
 tilibus & abstrusis rerum evolutionibus sed
 lumini divino mediantibus precibus operam
 dare debeamus. Præcipuum, cui ante omnia
 alia alacrem piamque manum affundere eos,
 qui rebus præsent, decet, est, ut Academias
 sive scholas publicas à Theologis rigidis, con-
 tentiosis & prædantissimo inflatis bello modo
 liberent hominesque doctos, pios, veritatis
 & pacis amantes & egregiis subinde animi,
 linguæ & calami dotibus florentes in eorum
 lo-

locum sufficient, cum sic Studiosorum mentibus veritas & pax instilletur, qui deinde eandem in Consistoria, Ecclesias & scholas perferunt totamque Ecclesiae massam hac ratione sensim sensimque edulcant. Vah! vero, quam egregiae starent Ecclesiarum Protestantium res, si in Universitatibus Theologia polemica, in exiliis missis jejunis istis anathematismis & refutationibus, cum prudentia tractaretur & pace atque eruditione theologica, uti par est, dilueretur! Ita enim fieret, ut veterum injuriarum & litium, quae Ecclesias vastare, amnestia quaedam, quae in omni pace primum articulum componit, mox subiret & sensim sensimque stabiliretur librique isti publici, quae nomina sua affundunt, quicumque Ecclesiae, quicumque scholis praeficiuntur, non quoad anathematismos sed saltem quoad doctrinas fundamentales, in quibus cum scripturis sanctioribus conveniunt, subscribendi darentur & rigor exactorum haec paulatim intercederet & Theologis maxime major ubique scribendi & docendi libertas, eam sola denegata, quae lites serit, quae & fundamentum fidei subruit aut prudentiae theologicae pietatque infesta est, succresceret & miris modis res Ecclesiae sic promoverentur. Jam &, ubi soli illi, qui veritatis & pacis studiosi sunt, Consistoriis, Academiis & praecipuis officiis ecclesiasticis admoverentur & a Principibus eveherentur & ornarentur, haud exprimi potest,

quantus irenicorum ubique concursus futurus
 & quâ in hanc mentem omnes mox lapsuri es-
 sent. Nec foret sanè sic amplius, qui contra
 vel saltem hiscere auderet. Secundo loco a-
 natematismos mutuos, quo una pars in alte-
 ram furit, elenchosque omnes rigidiores &
 quæ inimicitiam animis infundunt, simpliciter
 jugulandos, prohibendos & abolendos esse ar-
 bitramur, quin & prohibendas scriptiones,
 maximè academicas, quæ ad lites continuan-
 das heic exarari communiter solent, imò
 non permittendum, ut omnes hæ lites in ser-
 monibus ecclesiasticis aut catechismis, licet
 irenico modo subinde & quidem quasi aliud
 agendo eadem heic tangi debeant, evolvan-
 tur, injungendumque, ut nemo ultra scriptu-
 ram sacram heic sapiat, sed, ubi ad ejusmodi
 doctrinam quadam perventum fuerit, in solis
 ejus terminis tanquam in tuto portu acquie-
 scat. Tertium est, quod fieri heic debet ut,
 si quidem animi prius dispositi fuerint, si &
 quod calidissimis votis expetunt, qui verita-
 tem amant, nodus prædestinationis absolutæ,
 quæ magno sanè scandalo Augustanæ Confes-
 sionis Theologis est, per gratiam universa-
 lem sincerè sumtam solvatur, vel primum
 saltem rigor ille, quo gratiæ particularis con-
 fessio exigitur, tollatur, eadem privilegia ec-
 clesiastica utrique parti, eadem sacra, eadem so-
 lennitates sepulchrales, ubi quidem sine turbis
 id fieri potest, sensim sensimque concedantur.

Quar-

Quarto id & vel maximè monendum est, à politicis primum Viris & in aulis & à Principibus rem hanc tractandam, ipsosque inter Principes Ecclesiarum Protestantium pacem hanc ecclesiasticam primùm pangendam esse, operamque omni nisu dandam, ut universalis ea existat, ut nullus Theologorum congressus facillè instituat, nullæ Facultates, nulla Consistoria promiscuè consulantur, (hæc enim omnia nimiam prolixitatem & certas contradictiones litesque crearent,) ut & mandatis publicis populi prælegendis res haud mox agatur, neque cærimoniarum ecclesiasticarum aut sacrorum externorum mutatio aut inflexio quædam, nisi animi probè dispositi sint, tentetur, ut &, si qui Theologi in rem heic vel tandem vocentur, soli illi, qui veritatis & pietatis studiosi sunt & ingenii, eruditionis, linguæ & calami præstantiâ pollent, adhibeantur. Denique, quod jam dicere cœpimus, vi nihil agendum, mentes non cogendæ sed persuadendæ & sensim sensimque procedendum & ab elenchorum abolitione initium sumendum, animique non solum doctorum sed & plebis & scriptis & pro rostris sacris eâ, quâ par est, prudentiâ latiùs præparandi sunt, donec, ubi & veritati & paci satis cautum fuerit, progressu temporis sacrorum communio vel tandem introducatur. Maximè verò cavendum, ne particularis saltem sacrorum externorum unio, quæ novum

schisma parere posset, statim pangatur, DEUSque ante omnia supplici & sincerâ & piâ prece invocandus, ut instituto huic uberrimam benedictionem suam adfundat. Et verò, quid restat jam, quàm ut, qui ad clavum sedent, promptam sanctissimo huicce negotio manum, DEO juvante, mox affundant? Agite ergò, quibuscunque DEUS hanc auctoritatem tradidit & quos tantâ pietate & prudentiâ DEUS O. M. exornavit, agite, SERENISSIMI POTENTISSIMIQUE REGES PROTESTANTFS, agite, PRINCIPES CELSISSIMI IDEMQUE SERENISSIMI, agite, quicunque à latere Eorundem estis & consilia vestra prudentissima planèque eximia & ad pacem tota tendentia rebus adspargite & pro vestro veritatis & orthodoxiæ & pacis ecclesiasticæ amore, quo floretis, salutem Ecclesiæ sic plurimum promovete & adversariorum communium molimina sic disjicite dignumque à DEO O. M. in cœlis quod vos manet, præmium exspectate, agite verò & vos Theologi, qui tùm in Academiis tùm in Consistoriis tùm in Ecclesiis tùm in aulis ædificationi communi animos vestros & linguas & scriptiones adspargitis, & res suas habere jussis avitis præjudiciis & inimicitis & odiis & rixis & quæstiunculis, rem Domini gnaviter urgete & ad negotium hoc, quod tam sanctum, tam pium & tam salutare est, prompti omnes, precamur, concurrite. Nostis,
quid

quid Jacobus Apostolus ajat, *fructum justitiæ cum pace seri pacificis?* Jac. III. 18. Nostis, amorem & pacem præcipuum quoddam Christianismi officium esse, utpote sine cujus observatione nemo visurus sit Dominum? Hebr. XII. 14. Nostis & vestro damno capitis, vires divisas eò debiliores esse, unitam vim fortio-rem, concordia res parvas crescere, discordia magnas dilabi & quotidie decrescere & in pejus, ridentibus adversariis, vergere. Nostis denique, quid judicioso prorsus calamo sic efferat *Hilarius*, libro ad Constantium Augustum, *periculosum atque admodum miserabile esse, tot nunc fides existere, quot voluntates & tot nobis doctrinas esse, quot mores, qui & idem hæc præstantissima eodem loco addat ostendatque, qui per rigorem Theologicum sectæque studium ipsa tandem fides perdatur, ita ut verba ipsius hæc planè in nos quadrent: Dum in verbis pugna est, dum de novitatibus quæstio est, dum de ambiguis occasio est, dum de autoritatibus querela est, dum de studiis certamen est, dum alter alteri anathema esse cœpit, prope jam nemo Christi est. Eja, quando veniet, quæsumus, beata illa dies, ubi præjudicatas opiniones quasvis nosque metipsos veritati, paci, saluti Ecclesiæ totos consecrabimus, ubi VERITATE & AMORE ducibus, quibus jugiter inebriari nos convenit, in mutua oscula mutuosque amplexus, qui hæctenus in diversa abiimus, læti ruemus? Nec est, quod veritati metu-*

amus, quicunque paginas hæc irenicas oculis hæc nostris usurpamus. Quanta enim ejus solidè intellectæ ratio habeatur, vel ex omnibus, quæ heic conspiciuntur, lineis vobis capere licet. Jam & huc omnia hæc consilia tendunt, ut, mediante tolerantia, mediante & amore illo mutuo, qui suavitatem rebus affundit, quicunque errant, in veritatis, pietatis & virtutis tramitem reducantur & ad ædificandas quoque Ecclesias latior sic via DEO juvante sternatur. Agite itaque, nec tanto negotio, tantæ curæ deesse, sed vestram eruditionem, vestram pietatem, vestrum zelum, quo Ecclesiam DEI complectimini, vestros animos alacri prorsus studio in rem præsentem, cui DEUS ipse aderit, certatim conferte.

EPILOGUS.

AT enim, nisi TU Ipse, qui veritatis & pacis Autor es, DEUS OPTIME MAXIME, negotium hoc promoveas eidemque invigiles animosque hominum amplissimâ luce TUA circumfundas & disponas, omnia, quæ in unum hîc fundimus, consilia nulla, caduca & inepta erunt. Fac itaque ipse, petimus supplices, & perora, qui DEUS in altissimis es, causam TUAM disiectosque Zionis lapides in unum pro gratiæ tuæ potentissimæ virtute summâ coaduna, Surge, quæ.

quæsumus, O DEUS, & miserere Ecclesiæ tuæ, nam tempus jam est, ut ejus misereare. Optant enim servi tui, ut lapides ejus colligas, ut rudera ejus in novum ædificium erigas, populi ut te venerentur & omnes Reges terræ ut gloriam nomini TUO reddant. Ecce, ecce, quæ Ecclesia tua, quæ navigium hocce cum fluctibus procellarum & cum ventis jam luctetur, ecce quæ gregem istum tuum, quem TIBI, O DEUS, elegisti, Satanas mundusque adgrediantur. Age itaque & exurge, O sanctissime Nominis TUI Vindex, & depelle hostium vim, & uni animos, qui in diversa hæctenus abiere & pacem illis TUAM exoptatissimam dona ardentiorisque & sanctioris Christianismi veritatisque & pietatis masculæ vexillum, quod omnes sequantur, ad quod omnes cursum suum dirigant, in Ecclesiis TUIS novis cum gratiæ TUÆ augmentis planta & futuris olim regnis omnes nos benignus adscribe per Christum Dominum nostrum, cum quo TIBI gloria, honor & imperium in secula seculorum
AMEN.

JAC. ELSNERI, Borussæ

Observatio ad Luc. XV. 22.

Εἶπε δὲ ὁ πατήρ πρὸς τὰς δούλῃς αὐτῶν. Ἐξενέγκα-
τε τὴν σολὴν τὴν πρώτην, καὶ ἐνδύσατε αὐτόν,
καὶ δότε δακτύλιον εἰς τὴν χεῖρα αὐτῶν, καὶ
ὑποδήματα εἰς τὰς πόδας.

§. 1.

AD servi conditionem dissipatis bo-
nis paternis detrusus erat degener
ille filius, *commate* 15. & præclare
actum secum putabat, si servi gra-
dum à Patre receptus obtineret
com. 17. & 19. Itaque, quando h. l. *stola*, *an-
nulo* & *calceis* donatur, indicio est, in liberta-
tem eum vindicari à Patre, atque in poste-
rum non servi, sed liberi, hominis & filii locum
recuperare. Hoc distincte demonstrabo.

§. 2. Στολή de veste virili occurrit quoque
apud Lucianum *Cynico* p. 725. edit. Amstelod.
& Pollucem *Onomast. Lib. 1. Segm. 25.* ut in Sa-
cris Libris sæpe. Inprimis autem *togam* Lati-
nis dictam σολὴν vocant Græci: Dio Cassius
Lib. 39. p. 103. de Senatu Romano: τὰς σολὰς,
καθάπερ ἐν συμφορᾷ πνι, μετεκδύνααι ἐψηφίσαντο,
*decreverunt, ut vestes mutarentur, quod in calami-
tati-*

tatibus fieri solet, hic σολαὶ sunt toga. M. Antoninus de Rebus Suis Lib. 1. §. 7. τὸ μὴ ἐν σολῇ καὶ οἶκον περιπαλεῖν, ne toga indutus domi obambulare, vide ibidem Gatakerum, adi & Dionysium Halicarn. Lib 4. c. 47. Sic toga vocatur Ῥωμαίων σολή Herodiano Lib. 5. Cap. 5. pag. 238.

§. 3. Erat autem ingenuorum illud vestimenti genus, servis contra ut toga sic & σολῆς nullum jus, quod ostendit Octavius Ferrarius de Re Vestiaria Lib. 3. c. 24. qui cultus ex ea etiam ratione minus conveniebat servis, quod demitti soleret, & ad talos deflueret, vide Quintilianum inst. Orat. Lib. 11. cap. 3. pag. 1031. Servi vero alte cincti fere incedebant, ut ad obeunda ministeria eo essent expeditiores: Hinc apud Phœdrum Lib. 2. Fab. 5. vers. 10.

Ex ALTICINCTIS unus atriensibus
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destrieta.

Consule ad hunc locum Interpretes, & quæ plura de hoc ritu dixi in Observationibus meis ad Luc. XVII. 8. ubi adductus Anacreontis locus Phœdrum hic citatum egregie illustrat. Contra ingenui καθειμένοι τὰς χιτωνίσκας demissis tunicis incedere solebant, vide Philonem Vit. Contempl. p. 900.

§. 4. Hinc fiebat, ut servi manumissi stola & toga donarentur: Quintilianus Declamat. 342. p. 717. edit. novissimæ Burmannianæ.

An vero majus in hoc puiamus esse momentum, ut circumverteres mancipium, aut si una voce liberum esse jusseris, quam si *HABITUM* dederis, *STOLAM* dederis? quod ne manumissis quidem omnibus contingit. Quanquam h. l. de ancillis manumissis potissimum sermo esse videatur. Horatius *Epod. 4. vs. 7.* ad Mænam Pompeji libertum:

*Videsne, Sacram metiente te viam
Cum bis trium ulnarum toga,
Ut ora vertat huc & huc euntium
Liberrima indignatio?*

Quia vero toga alba fere erat, hinc Tertulianus *de Resurrect. Cap. 57.* Servum manumissum vestis alba nitore honorari dixit.

§. 5. Deinde per δακτύλιον *ANNULUS AUREUS* sine dubio intelligitur h. l. cujus usus vetitus servis: erat quippe ingenuorum & dignitate quidem conspicuorum iste ornatus, vide Appianum *de Bello Pun. p. 104.* & notas ibidem. Servi autem ferreis annulis utebantur. Apulejus *Lib. 10. Metamorph. p. 326.* edit. in usum Delphini: *Donec jussu Magistratum ministeria publica, contrectatis nequissimi servi manibus ANNULUM FERREUM deprehensum cum signo sacculi conferunt.* Hinc Urbinii Panopionis servus cum hero de vita periclitante annulum permutabat, ferreum sine dubio cum aureo, ut eo tutius elaboretur, apud Valer. Maximum *Lib. 6. Cap. 8. 4.* §. 6.

§. 6. Manumissi autem AUREI ANNULI honore honorabantur, auctore Tertulliano loco antecitato. Hinc servus apud Arriani Epictetum L. 3. Cap. 26. p. 353. manu mitti cupiens, εὖν δακτυλίς, φησὶ, λάβω, τότε γ' εὐερίσεται διάξω si annulos, inquit, accepero, tunc felicissime vivam. & Stalino apud Plautum Casina Act. 3. Sc. 5. vs. 63. ancillæ Pardalisæ ingens præmium promittit his verbis:

Si effexis, soleas tibi dabo, & ANNULUM IN DIGITO AUREUM.

Ubi vide sis Meursium; quod plane convenit cum verbis apud Lucam δότε δακτύλιον εἰς τὴν χεῖρα αὐτῆ, quomodo etiam Trimalchio Libertus annulum aureum habebat, apud Petronium Cap. 32. p. 127. alia dabit Kirchmannus de Annulis cit. lib. c. XVI.

§. 7. CALCEIS denique carebant servi, si fides Servio ad Virgillii Lib. 1. Æneid. vs. 286. notanti: *Servi nec colobia nec calceos habebant*, vide & Balduinum de calceo antiquo c. 23. p. 210. Simul autem cum toga sumi solebant, vide Ferrarium de Re Vestiar. Lib. 1. Cap. 11. quomodo conjunxit quoque Horatius Lib. 1. Serm. 3. vs. 31.

*Rusticius tonso Toga defluit, & male laxus
In pede CALCEUS hæret*

Et Artemidorus Lib. 4. Oneirocrit. c. 74. p. 245. ubi Pana in somnio visum esse dicit, ἔχοντα

Ρωμαί-

Ῥωμαικὴν ἐσθῆτα καὶ ὑποδήματα *Romanam togam habentem & calceos.* Ancillæ vero in libertatem vindicandæ SOLEAS promittebat Stalino apud Plautum loco ante citato.

§. 8. Id quoque, quod mensæ Patris adhibetur hic homo juxta comma 23. declarat, libertatem & filii jus illi reddi. Servus enim libertate donatus *MENSA patroni honorabatur*, docente Tertulliano l. c. & filiis natis aut reditis convivia celebrari solebant, ut ostendi ad comma cit. in Observationibus meis. Plura huc facientia dabit sine dubio (a) *Loon de Manumissione Servorum*, quo in præsentî careo.

(a) Nihil fere habet *Loonius*, quo hæc uberius illustrari possent. Si tamen similes ritus apud Ebraeos inter quos tum versabatur Christus, viguisse ostendi possent, majori sane luce verba parabolaë hujus perfusa agnosceremus. T. d. H.

NOVA THEOLOGICO-HISTORICO-LITERARIA.

LONDINI vir quidam doctus, quem Bibliothecæ Anglicæ author, exulem esse Gallicum, religionis causa & agnatum CENEI, (a quo habemus la Bible de Mr. CENE, opus singulari tractatu a Cl. GOUSSETO refutatum,) putat, duas edidit plagulas, quibus opus hoc annuntiat a se edendum: *le Philosophe Coretien, ou Nouvelle philosophie, tirée de la parole de Dieu, autrement dite l' Ecriture Sainte, Ouvrage, ou l' on trouvera, entre autres choses, tous les Mysteres de la Religion decouverts.* Triginta jam annos in hoc opus meditatus est. Inimicum se non tantum Papismi & Epicureismi sed etiam Cartesianismi profitetur. Scopus ejus est, ut unionem Christianorum promoveat. Communioni asseclarum, quos dicunt, Calvinii adhæret, quam tamen, æque ac Lunam, maculis suis non carere existimat.

Cum Arianismi virus latius semper serpat, Zelotæ quidam pro fide recepta fundum collatis symbolis erexerunt, unde quotannis 40. pondo Sterling in perpetuum cuidam Viro Docto erogabuntur, qui octo per annum concio-

ciones de mysterio SS. Trinitatis ad populum
habebit. Primas in hoc instituto partes Dr.
WATERLAND suscepit.

TIGURO ad me III. Kal. Apriles 1720. li-
teras exaravit Clarissimus *Joh. Jacob. ULRI-
CIUS* meus, ex quibus sequentia excerpere ju-
vat : „Tentatus novis conaminibus & lætio-
„ri, quam antehac, spe, Protestantium Ec-
„clesiarum Syncretismus, res est jam qui-
„dem multis apud nos agitata sermonibus.
„Successum illius certissimum sperare nos ju-
„bent Literæ Reverendissimi Angliæ Præ-
„sulis, Archiepiscopi Cantuariensis, ad Mi-
„nisteria Helveticarum Ecclesiarum & Clar.
„Ottium nostrum pronuper datæ, in quibus
„maximum hoc negotium pene confectum
„esse perhibet. Plura de tanti momenti re
„nos quidem latent. Interim vix tibi scribe-
„re possum, mi dulcissime Frater, quantum
„studio & affectu votisque meis ad hanc tan-
„tam spem propendeam. Det modo Deus
„pacis, ut illa vana non sit. Certe beatissi-
„mæ memoriæ Majoris nostri vel sanguine
„suo salutem hanc Romæque omnino fata-
„lem inter dissidentes fratres compositionem
„redemissent. O quam felices nos essemus
„& ter & amplius, si in illa vivendo incidis-
„semus tempora, in quibus magnum istud
„opus in quo hætenus tot & tanti Viri, &
„Principes & Theologi vota & labores suos
„frustra consumserunt, ad optatum finem
per-

perduceretur, quo profligatis tandem a Protestantium Ecclesiarum Republica bellorum impiis tumultibus, & Juda & Ephraim concordes, posita invidia, vires & confertos cuneos in Christi hostes converterent, junctisque alis in Philistæorum humeros involarent. Ego saltem, ut animi mei calentissima pro pace hac Zionis desideria publice etiam declararem, rogatu Bibliopolarum nostrorum & consilio amicorum mecum statui, post vulgatam nuper a pacifico & acutissimo Genevensium Theologo, D. Alph. TURRETINO Nubem Testium pro moderato de rebus Theologicis judicio & instituenda inter Protestantes concordia alteram ejusmodi Nubem in lucem edere, quam proximis *cu* nundinis ad vos transmittere non omittam. Constat illa ex diversis superiorum seculorum a Theologis tum nostratibus, tum etiam aliis in hanc rem, aut publice editis, at in bibliopolis diu jam distractis, aut inter chartas MStas hactenus delitescens scriptis judiciisque Theologicis, iisque omnibus lectu dignissimis, quibus ego præfatiunculam aliquam adjiciam.

Cum Fasciculo Classis hujus tertio p. 492. sq. recensuerimus scripta Jubilæum reformatæ Ecclesiæ concernentia, addere hic juvat recusam Tiguri orationem *Job. TSEETSI*, quam magistratui Tigurino inscripsit, cujus
 Class. III. Fasc. V. Ppp que

que hic est titulus: *Oratio secularis altero Reformationis Jubileo habita in auditorio publico illustris Athenæi Patakiensis, a Johanne TSEETSI J. F. Ill. Athenæi Rectore & Professore ordinario: ad diem 31. Octobris Julian. 1717. Tiguri 1720. 4.* Apparent in ea nomina virorum eruditorum, qui gymnasium Patakiense in Hungaria a fundatione ejus ante annos 165. nobilitarunt. Primus ejus Professor fuit *Johannes Belsaratus* circa annum 1560. quem inter alios secuti sunt *Kassai, Vasarhelyi, Lani, Szepfi, Tolnai, Comenius, Szilagy, Szölösi, Buzinkai, Posahazi, Tseetsi Pater, Simandi*, & demum ordine quadragesimus tertius *Tseetsius* filius, opus Domini & literarum ab annis 5. illic agens, datis hucusque cœlitus viribus, ut laboranti Ecclesiæ succurreret, & fugientes quasi inde bonas literas persequeretur.

BREMÆ in cœtu Stephaniano vix munus ecclesiasticum, post Viri Pl. Reverendi J. G. RHODII resignationem ob sinistram corporis valetudinem anno elapso factam, Clar. *Conr. IKENIUS* Zutphania nuper evocatus, suscepit, cum ejusdem Ecclesiæ hætenus Pastor *F. A. Lampe*, ad professionem Theologicam ordinariam, quam celebris Theologus *Heidelbergensis, KIRCHMAJERUS* requirente ejus præsentiam afflictæ Palatinatus Ecclesiæ, recusaverat, a Proceribus Trajectinis honeste deposceretur. Cui vocationi quidem *Lampius* morem gerere constituit, ita tamen,

tamen, ut cum Theod. HASAEO socias in adornanda hac Bibliotheca porro manus jungeré propositum habeat. Unde in posterum perinde erit, sive literæ aut fasciculi, librivæ, quorum insertio recensiove in hac collectione desideratur, ultrajectum ad Lampium, sive Bremam ad Hasæum mittantur. An vero Lampius convitia JUNIO-MASTIGIS, quæ nuper evomere perrexit, ulteriori responso dignaturus sit, gravioribus nunc præpeditis curis, dicere nondum habet. Forte Magnum & egregium *castigatorem* Grammatico cuidam castigandum probe relinquet, quod temerario ausu ex purioris Latinitatis civitate tot voces phrasæque optimæ notæ proscripserit. (a)

Ppp 2 De

(a) Ut tribus verbis ignorantiam castigatoris ostendam, pauca exempla addam. Castigat vocem *eludere*, contra PLAUTUM Trinummo Act. IV. Sc. 2. v. 20. *Suus pro ejus*, contra sexcenta loca apud BARTHIUM Advers. XII. 13. & SANCTIUM Minerv. II. 12. *Figuntur in eam*, contra PROPERTIUM lib. III. Eleg. 15. v. 14. *Sancivit*, contra CICERONEM pro Plancio. *Indigna sapientie*, contra VIRGILIUM Æn. XII. 649. CICERONEM Arusp. Resp. &c. *Dignior Legislatori*, contra PLAUTUM Pœnul. I. Sc. 2. v. 46. *Emolluero* contra OVIDIUM de Ponto I. 6. *Persentiscere* contra TERENCEIUM, plus semel. *Domo* in dativo, contra HORATIUM lib. I. Ep. 10. Confer BANGII obs. Phil. lib. I. p. 211. &c. &c. &c. Πῶς ἔ καταγέλασόν ἐστ ταῦτα παρὰ τῶν ἄλλων ἀπαιεῖν, οἷς αὐτός μηδέν κατὰ μικρόν κεχημένον τυγχάνεις; ISOCRATES de laude Busiridis. F. A. L.

De mendis typographicis, quantum ipsi lubet, cum typhothetis rixetur. Aperta mendacia silentio optime vindicantur. Tempeſtively monet PLAUTUS Amphitr. Act. 2. Sc. 2.

- - *Baccha bacchanti ſi velis adverſarier,
Ex infana inſaniorum reddes, FERRET ſe-
pius.*

Si obſequare, una reſolves PLAGA.

BEROLINI Virum meritis in eccleſiam illuſtrem Carolum Conradum ACHENBACHIIUM antea eccleſiae Crucenaceniſis & Heidelbergeniſis Miniſtrum, & Conſiliarium eccleſiaſticum Archi-Palatinum, & deinde Potentiſſimo Boruſſiae Regi à ſacris & conſiliis eccleſiaſticis poſt diutinum morbum octavo Kal Apr. inter homines vivere deſiſſe accepimus.

ULTRAJECTI Guilielmus van de Wa- ter conſilium cepit ſcripta præſtantiſſimi Friſiorum Philologi Jacobi RHENFERDII, præter eriſtica, in unum corpus collecta recudendi, id quod ut cum inſigni rei literariae bono fore conjunctum ominamur, ita eorum heic tibi Catalogum exhibemus, ut ſi quid tibi ad manus ſit, quo illum augere poſſis, ejus copiam honeſtiſſimo Typographo facias, qui illud beneficium non in hominem ingratum eſſe collocatum oſtendet.

- 1 -- Dissertatio 1. de seculo futuro 1692.
- 2 -- -- -- 2. -- -- -- 1693.
- 3 -- Dissert. exhibens vetustiorum Rabbino-
rum testimonia de seculo futuro & die-
bus Messiaë 1693.
- 4 -- Summa argumentorum quibus probatur
seculum futurum non denotare dies
Messiaë. 1693.
- 5 -- de Sethianis 1694.
- 6 -- de fictis Judæorum hæresibus. 1694.
- 7 -- de fictis Judæorum & Judaizantium hæ-
resibus dissert. 1. 1694.
- 8 -- -- -- -- 2. 1694.
- 9 -- de redemptione Marcosiorum & Hera-
cleonitarum. 1696.
- 10 -- de antiquitate Literarum Judaicarum.
1696.
- 11 -- Comparatio Expiationis anniversariæ
Pontif. M. in V. T. cum unica atq; æter-
na expiatione Jesu Christi. 1696.
- 12 -- de Praefectis & Ministris Synagogæ
Pars I. 1700.
- 13 -- Pars II. 1700.
- 14 -- Pars III. 1701.
- 15 -- Pars IV. 1701.
- 16 -- Arabarcha vel Ethnarcha Judæorum.
1702.
- 17 -- de ratione observandi genuinam vo-
cabulorum Hebraicorum significatio-
nem. 1704.
- 18 -- Periculum Palmyrenum. 1704.

- 19 -- de statuis & aris falsis verisque Dei & hominum internunciis 1705.
 20 -- Observationum selectarum ad loca Hebræa N. T. Pars I. 1705.
 21 -- Pars II. 1706.
 22 -- Pars III. 1706.
 23 -- Periculum Phœnicium. 1706.
 24 -- Rudimenta Grammaticæ Harmonicæ Linguar. Oriental. 1706.
 25 -- de tecto Sabbathi. 1707.
 26 -- Oratio de fundamentis Philol. S. 1707.
 27 -- ad loca depravata & vexata Eusebii & Hieronymi. 1709.
 28 -- Notæ Criticæ & observationes in Eusebii & Hieronymi onomasticon locorum sacrorum 1707.
 29 -- ad loca deperdita Eusebii Cæsareensis. 1707.
 30 -- de Angulo Arabiæ & Batanææ. 1708.
 31 -- de ratione Cabbalistica explicandi Apocalypsin.

MARBURGI vita Conradi, qui olim D. Elisabethæ a confessionibus fuit, auctore V. Cl. J. W. *Waldschmidio*, Jcto, Consiliario Hassiaco & Professore prodiit. Joh. Joach. *Schræderus* Linguae S. Professor celeberrimus, binas de *Pseudoprophetis* disputationes habuit.

SERVESTAE in scribendo, disputando-
que strenue se exercet Cl. *Bashuysius*. Intra
aliquot mensium spatium ventilavit publicè
Observationes in diversa S. S. loca Diss. Parado-
xam de ISIDE, magna Dearum matre ad locum
Suetonii. De sanctitate & virginitate matris Jesu
Christi ad locum Es. VII: 14. De flagellatione
Pauli &c.

FRANCOFURTO ad Viadrum, ubi non
cathedram tantam Theologicam, sed sugge-
stum etiam ecclesiasticum per biennium fer-
me ornavit, Cl. *Job. Arnoldus NOLTENIUS* vale-
dixit, Serenissimi Borussiae Regis decreto ad
obeundum in Aula Regia Ministerium Evan-
gelii, Berolinum evocatus.

BATAVIA in India Orientali transmissam
epistolam sequentem, cum quædam statum ec-
clesiarum istius oræ spectantia contineat, heic
conspicere benevolus Lector ægre non feret.

Viro Celeberrimo, Doctissimo,
Reverendo Domino

*JOHANNI TSETSI S.P.D. JA-
COBUS VISCHER!*

Nihil mihi, Vir Celeberrime ac Amice
Charissime, gratius accidere potuit,
quam amicissimas tuas alio in orbe &
alio sub Sole scriptas videre tandem litteras.
Tui semper sum memor, & dum spiro, ju-
cundissimæ amicitæ nostræ ante plures annos
contractæ non vivam immemor, quod etiam
testari non neglexi, non tantum ex patria
datis aliquot litteris, sed scriptis ex itinere u-
nis ad te & iterum aliis ex India anno superi-
ori, quas ad Parentem in Europam directas,
rite ad te pervenisse nihil dubito. Pro acce-
ptis nuper tuis iterum iterumque ago gratias,
& licet in proximis plura ad Te scripserim
de felici meo ad Indos adventu & progressu
felici veræ Religionis in hoc orbe nobis ob-
verso, matrimonio meo, officio pastorali, a-
liisque rebus exquisitissimum tuum ingenium
delectaturis, tamen ad tuas etiam, pro ea,
qua feror in te, gratitudine & amicitia ite-
rum pauca hæc scribere volui, usque quo lon-
giores meas, quæ regiones omnes harum ter-
rarum & Insularum, bella, reditus, fertilita-
temque præferrent, transmittam, quas à pro-
xima

xima Classe in Europam navigatura expectabis. Batavia urbs, quam incolo, centrum quasi & Metropolis Indiæ est, frequens nationibus totius universi scilicet: Europeis, Arabibus, Persis, Malachensibus, Chinensibus, Mogolis incolis & Indis omnibus intra & extra Gangem. Nullam externe speciem habet, utpote arboribus tecta proceris & ædificiis latis quidem & amplis sed non altis, orientali more, ne fulminibus tangantur, quæ hic frequentia sunt, interna vero jucunda, magnifica & nitida, vici sunt recti & æquales, ambulacra sunt jucunda, fluvius totam civitatem inundat, atque littora utrinque arboribus consita, Leovardium magnitudine æquat, magnifica habet suburbia, in quibus 80000. hominum numerantur, viæ undique amœnissimis & perpetuo virentibus, ut solet hic, ubique hortis & prædiis, Hollandicos longe superantibus, sunt consitæ. Mores hominum in his terris abhorrent à vestris, ut & consuetudines. Voluptas hic principatum obtinet, præsertim fornicatio & stuprum, malum prorsus immedicabile, in his calidissimis regionibus. Quod ad cœtera, sunt longe humaniores, quam in omni Europa, fundique ditissimi, pacifici, se mutuo diligentes, nullisque bellis infestantur. Mulieres non æque politæ, quam in Hollandia, superbæ tamen, utpote quæ Portugalorum insolentias sequuntur, vestis tamen non tam comta, quam
Hol-

Hollandorum nisi forte uniones, ceterasque gemmas quibus se plus onerant, quam ornant, excipias. Stipatae sunt magno comitatu servorum. Virgines natura ad libidinem propensae, colore omnes pallido, sunt tenerae, gressuque delicato, ac languido. Homines fallunt tempus vespertinum deambulando & navigando in flumine, siquidem interdum ob nimium aestum vix aliquis in publico apparet, nec ulla est hyems unquam, nisi quod mensibus, quos hyemem dicitis, hic quotidie pluit. Urbs illa abundat mercibus, cum Metropolis sit totius orientis, vita jucundior & libera magis, quam in Patriis oris, hinc nullis sumtibus hic parcitur, peregrini liberalissime excipiuntur, quibus certatim indigenae mensas, pecunias, uniones & alia lujus terrae cimelia offerunt. Praest toti Insulae gubernator generalissimus qui habet juxta se 10. Senatores, *Ban Suel* qui majestate & potentia nulli cedit regi Europaeo. Adorant eum more Asiatico, multi Reges Orientis & Insulae hujus, quae sola Italiam aequat magnitudine. Verbi Div: Ministri eodem habentur honore quo summi praefecti vel Senatores, 10. sunt numero in hac urbe ordinariis, extraordinarii vero aliquot, redditum singuli numerant intra annum 2500. fl. praeterea extraordinariis dantur 2000. fl. Meum Salarium nuper est auctum 500. fl. Splendidissimas omnes domos incolunt, aureis filamen-
tis

tis ornatas, amœnissimis Paradisis auctas. Cum
 per menses septem hic commoratus essem,
 ablegatus eram in vicinam Insulam, totam
 Germaniam magnitudine æquantem, Suma-
 tram, & ejus fortalitium Badan dictum, sub æ-
 quatore fere situm, ad Sacramenta admini-
 stranda, ubi adventus meus erat gratus, cum
 multi baptizandorū essent; Iter mihi proficuum
 quantum ad reditus, oblatis enim sunt num-
 mi aurei ultra 2000., præter multas vestes
 auro intertextas. Ante biennium S. cœnam
 sumere nequeunt, neque aliqui Verbum
 Dei audire præter Catechesin. His fui gra-
 tissimus, institui hic multos qui prælegerent,
 & sacras orationes funderent, ordinavi Diaco-
 nos & seniores, vasa aurea ad S. Cœnam et-
 iam ordinavi, sic etiam aliquos, qui instrue-
 rent juventutem. Ex vicinis Insulis integræ
 naves Barbarorum plenæ continue hic advo-
 lant, qui ultro suscipiunt Religionem Chri-
 stianam, afferentes donaria ex auro, unio-
 nibus, chrysea, quæ ad genua provoluti Verbi
 Div: Ministris offerunt. Hæc Insula recte di-
 citur Ophir Salomonis vel aurea Chersone-
 sus, hic enim plus auri quam in toto orbe,
 ab imbribus continuo avellitur, a montibus
 atque ex fossis vallium, & post remissas plu-
 vias eximitur à rusticis & venum exponitur,
 pro linteaminibus & vestibus semigestis; In
 foro Badan vidi auri optimi libras quatuor i-
 mo quinque à pluvia abreptas, ab incolis au-
 tem

tem in montibus & vallibus collectas 3.4.5. unciarum. Si incolæ vim auri nossent, illud effodere scirent, & montium rupes pulvere pyrio confringere didicissent, abundare hæc regio auro super omnem fidem, sunt enim montes auro ditissimi plus quam 50. & fluvii auriferi 22. Præterea abundat hæc regio Benfoin, Gummi odorato, Ambra, Gryschea, Gamphora optima, cujus libra valet 60. Imperiales, & longe melior Japonensi, quæ hic venit uno Imperiali. Regiones omnes hæc fertilissimæ sunt, Piper, Cardamomum, Cinnamonum, Cassia nullius pretii sunt. Omnia ad victum necessaria minimi pretii. In plurimis Insulis coloniæ sunt Batavorum. Unum adhuc addam, sum evocatus ad Ministerium in Urbem Cocin in oram Malabaricam, quæ etiam Metropolis Batavorum est, cum augmento salarii iterum 500. fl. urbs ista 10. gradibus ab æquatore ad Boream distat. Scribenda reliqua proximæ occasioni reservabo, cum hac vice etiam satis detinuerim te. Parenti meo scripsi, ut si quæ essent in litteris, ad ipsum datis, quæ scire velles, ad te confestim transmittat. Deus tibi benedicat & in emolumentum academiæ vestræ, cui summa laude præes, conservet.

Dabam raptim in urbe Batavia Indiæ Orientalis die 21. Maji. 1718.